It would not have been thought necessary to say so much upon this point, had not the statements above referred to been adopted by the Duc de Luynes, and introduced in his preface to the translation of Matthew Paris, lately published. As this is likely to be, and deservedly so from the very able manner in which it has been executed, a standard work upon the Continent, it has been thought due to Wendover to set his claims in their true light.

Of the present edition, the first of this writer that has ever issued from the press, a few words will suffice. The text is taken from the only manuscript of Wendover believed now to be extant, the property of the late Mr. Douce, and bequeathed by him, with the rest of his MSS. and printed books, to the Bodleian library. It is a folio volume on vellum, written in two columns, almost at the close probably of the thirteenth century. It is unfortunately imperfect in two places: in one from the year 879 to 894, where the history has been continued in the text from an excellent MS. of Matthew of Westminster, who fortunately at this point is an exact copyist of Wendover, collated with the edition

of 1601; and again the MS. is mutilated in the narrative of the events of the years 1191 and 1192, where the text has been supplied from what remains of the Wendover MS. destroyed at the fire of Ashburnham House, now retained in the various readings of Wats' edition of Matthew Paris.¹

Throughout the three last volumes the reader will find these variations carefully preserved, that the present may form as complete an edition of the work as it is at this day possible to furnish.² Of the history of the MS. there exists no positive information, further than that it was purchased by Mr. Douce at the sale of books belonging to the late Sir John Sebright, in the catalogue of which it is described as the Flores Historiarum of Matthew of Westminster.

The editor of Rishanger indeed thinks that 'there can scarcely be any reasonable doubt that the MS. in question is the same with one which, in the year 1585, belonged to one Doctor Matthew Carew,' and gives the following reason for his opinion, namely, that the transcriber of an extract from this MS., now in the Sloane collection, MS. 1301, 'in copying the two lines of poetry which occur at the end of the chronicle, not understanding the word 'tenuit' as written in the manuscript, has made a kind of fac-simile of the MS. contraction; and this corresponds with that in the Douce manuscript.' But it is inconceivable whence the editor can have derived his information, since, in the lines alluded to, with which our history concludes, no such word as 'tenuit' is to be found!

¹ In edit. Wats, p. 163, l. 22; an Appendix, containing the various readings and additions of Matthew Paris, inserted in the chronicle of Wendover.

² The editor hopes at a future period to be enabled to publish

A MS. of Wendover, commencing with the Nativity, is spoken of in a note prefixed to a copy of Matthew of Westminster, in the Bodleian library [MS. Laud, 572], as having belonged to Sir Christopher Heidon, knight, of Norfolk, but we have no means of ascertaining whether that MS. is at present in existence or not. Nichols, indeed, in his history of Leicestershire, has made the MSS. of Wendover and Paris identical.

In the notes to the present edition the editor has been anxious to say only so much as appeared to be useful for the general purpose of illustration, or to amend the chronology, which, often confused, owing to the different periods at which the year was commenced by different authors, or from inaccuracy, arising from the scanty means of information at the time, later researches, and greater opportunities for arriving at the truth, have enabled him to correct.

It only remains for him to add his best thanks to Mr. Bentley for the attention and expedition with which the work has been passed through the press, as also to Mr. Fehon for the great care with which the index has been compiled.

Oxford,
16 Nov. 1842.

ROGERI DE WENDOVER

LIBER, QUI DICITUR,

FLORES HISTORIARUM.

*De coronatione regis Angliæ Henrici tertii et rebus
ejus tempore gestis.*



DEFUNCTO Johanne, Anglorum rege, convenerunt apud ¹Gloverniam in vigilia apostolorum Simonis et Judæ, in præsentia Walonis apostolicæ sedis legati, Petrus Wintoniensis et Silvester Wigorniensis, episcopi, Ranulphus comes Cestrensis, Willelmus Mareschallus, comes Penbroc, Willelmus comes de Ferrariis, Johannes Mareschallus, Philippus de Albeneio, cum abbatibus, prioribus et turba multa nimis, ut Henricum, Johannis regis filium primogenitum, in regem Angliæ coronarent. In crastino autem, paratis omnibus ad corona-

A.D. 1216.
Coronation of
Henry III.

NOTES AND VARIOUS READINGS.

¹ *Gloverniam.*] Hemingford has left an account of the mode of Henry's election, recording a speech of the earl of Pembroke on the occasion, with the answer of the barons. He afterwards commits a curious blunder in laying the scene of the coronation in London.

A.D. 1216. tionem necessariis, legatus supradictus, associatis sibi episcopis et comitibus memoratis, duxerunt ad ecclesiam conventualem cum processione solemni regem coronandum, ubi ante majus altare constitutus juravit coram clero et populo, appositis sibi sacrosanctis evangeliiis et plurimorum ¹sanctorum reliquiis, quod honorem, pacem ac reverentiam portabit Deo et sanctæ ecclesiæ et ejus ordinatis omnibus diebus vitæ suæ; juravit etiam, quod in populo sibi commisso rectam justitiam tenebit, quodque leges malas et iniquas consuetudines, si quæ sint in regno, delebit, et bonas observabit et ab omnibus faciet observari. Deinde fecit homagium sanctæ Romanæ ecclesiæ et Innocentio papæ de regno Angliæ et Hiberniæ, et juravit quod mille marcas, quas pater ejus Romanæ contulerat ecclesiæ, fideliter persolveret quamdiu prædicta regna teneret; et, his ita gestis, ²Petrus, Wintoniensis episcopus, coronam posuit super caput et unxit eum in regem cum orationibus et cantuum modulationibus, quæ in coronatione regum solent decantari. Tandem, expletis missarum solemniis, duxerunt regem cum processione solemni episcopi et comites sæpedicti regalibus indutum ad mensam, ubi omnes in ordine suo considentes epulabantur in lætitia et exultatione. In crastino autem rex cepit homagia et fidelitates ab omnibus episcopis, comitibus et baronibus, aliisque omnibus,

¹ *Sanctorum reliquiis.*] Paris adds, 'Dictante juramentum Jocelino Bathoniensi;' in the Waverley Annals he is also spoken of as being present.

² *Petrus.*] Henry's own account of the coronation is given in his letters to the justiciary of

Ireland, still preserved in the Close Rolls, Foed. i. p. 145. Stephen, archbishop of Canterbury, was then at Rome, on the subject of his suspension. In the letters just mentioned, Henry says, that he was crowned by the cardinal and bishops then present.

qui aderant, et omnes ei fidelissimum ¹ obsequium A.D. 1216. promiserunt. Coronatus est autem Henricus tertius anno ætatis suæ decimo, in die apostolorum Simonis et Judæ, scilicet vicesimo octavo die mensis Octobris. Rex autem post coronationem suam remansit in custodia Willelmi comitis Penbroc, magni videlicet Mareschalli, qui protinus misit literas ad omnes vicecomites de regno Angliæ et castellanos, præcipiens singulis, ut regi nuper coronato essent intendentes, promittens omnibus possessiones pariter ac donaria multa, ita ut dicto regi fideliter adhærent; sicque nobiles universi et castellani, qui patri ejus servierant, ei multo fidelius quam regi Johanni adhæserunt, quia patris iniquitas, ut cunctis videbatur, filio non debuit imputari; unde omnes sese ad defensionem præparantes castella sua peroptime munire cœperunt. Animabat præterea eos, qui partem regis fovebant, quamplurimum, quod singulis diebus Dominicis ac festivis Lodovicum cum et complicibus ejus et fautoribus excommunicari videbant.

Qualiter Lodowicus, audita morte regis Johannis, a Dovera recesserit.

Cumque Lodowicus ac barones, qui apud Doverense castrum obsidionem agebant, de morte regis Johannis veridicos nuntios accepissent, invasit omnes lætitia magna, ut qui se confidebant regnum Angliæ subjugasse. ² At Lodowicus,

Louis, his attempt upon Dover castle.

¹ *Obsequium.*] ‘Fidelitate et homagio omnium illorum nobis exhibitis;’ *ibid.* p. 145.

² *At Lodowicus.*] The Cotton MS. of Mat. Paris has a different account of the attempt of Louis to bring over Hubert de Burgh, by which it appears that he sent the earl of Salisbury and a brother of Hubert, whom Louis had before taken prisoners, to use their influence with him. The result, however, was the same; see Var. Lect. Wats, ad p. 288.

A.D. 1216.

Huberto de Burgo, Doverensis castrî constabulario, ad suum colloquium vocato, dixit ei, ‘ Rex Johannes dominus tuus mortuus est, nec valet tibi castrum hoc contra me diutius tenere, cum non habeas defensorem; redde ergo castellum mihi et ad fidelitatem meam veni, et ego magnis honoribus te ditabo atque inter consiliarios meos magnus eris.’ Cui Hubertus taliter fertur respondisse, ‘ Si dominus meus mortuus est, habet filios et filias, qui ei succedere debent; sed et de castello reddendo cum militibus sociis meis habere volo colloquium;’ sicque in castrum reversus indicavit sociis verba Lodowici, qui in hoc pariter consenserunt inclusi, ut castellum Lodowico negaretur, ne illud turpiter reddendo notam proditionis incurrerent. Quod cum Lodowico et baronibus nuntiatum fuisset, decreverunt minora per Angliam castella subjugare, ut, levioribus subactis, confugerent ad majora; denique, obsidione soluta, ad urbem Londoniarum sunt reversi. Sed continuo post recessum eorum milites, qui erant in [defensione] castrî memorati, exeuntes combusserunt domos et ædificia, quæ ante castrum Lodowicus construxerat, et sic per provinciam hostiliter discurrentes castrum suum omnibus rebus necessariis optime munierunt.

De obsidione et captione castelli de Hertford.

Hertford
castle
besieged
and taken.

His ita gestis, Lodowicus in crastino sancti Martini cum exercitu copioso ad municipium de Hertford perveniens illud obsidione vallavit, erectisque in gyrum machinis castelli muros subvertere nitebatur; sed Walterus de Godardvilla, miles de familia Falcasii, vir strenuus, cum suis commilitonibus defensionî vacans multam ex Galligenis stragem fecit. Tandem,

cum a ¹ festo sancti Martini usque ad festum beati A.D. 1216.
 Nicolai laborioso nimis sumptu ibidem sedissent,
 reddiderunt Lodowico municipium, salvis inclu-
 sis rebus suis cum equis et armis. Reddito
 itaque municipio, petiit illud Robertus filius-
 Walteri, dicens custodiam illius ad eum anti-
 quo jure spectare; at Lodowicus, cum super
 hoc a Francigenis consilium quæsivisset, respon-
 sum est ei, quod Angli non erant digni tales
 habere custodias, qui proprii domini proditores
 fuerunt. Tunc Lodowicus dicto Roberto re-
 spondit, ut patienter sustineret donec, regno
 subjugato, singulis redderet jura sua. Eodem
 tempore, in ² die beatæ Catharinæ virginis et mar-
 tyris, exivit de carcere nobilis vir Willelmus de
 Albeneio, facto prius fine pro redemptione sua
 sex millium marcarum; qui, facto homagio regi
 Henrico, tradidit ei idem rex castellum de La-
 fort ad custodiendum, quod ille strenuissime
 custodivit.

De captione castelli de Berchamstede.

Subjugato, ut dictum est, municipio de Hert- Berkhamp-
stead castle
besieged,
 fort, Lodowicus in die sancti Nicolai apud
 Berchamstede castellum se conferens illud cuneis
 militaribus circumcinxit. Barones vero Angliæ,
 qui, jubente Lodowico, a parte castris aquilonari
 sub foresta tentoria sua statuerant, et circa illa
 ordinanda ministri et servientes essent solliciti,
 exierunt de castello milites et servientes cum
 impetu, et, sarcinas baronum et bigas inva-
 dentes, vexillum Willelmi de Mandevilla rapue-
 runt et secum revertentes in castellum detu-
 lerunt, pœnitentia ducti, quod adversariis ma-
 jora non potuerunt inferre detrimenta. Eodem

¹ *Festo.*] From the 12th of No- | ² *Die beatæ Catharinæ,*] the
 vember to the 6th of December. | 25th of November.

A.D. 1216.

quoque die, baronibus ad mensam sedentibus, exierunt denuo milites et servientes prædicti de castello, et in confusionem baronum vexillum, quod paulo ante rapuerunt, præferentes cogitabant dictos barones occupare inermes; sed, aliis præmunitis, compulsi sunt ad castellum redire. Cumque dies crastinus illuxisset, jussit Lodowicus petrarias et alias belli machinas circa castrum ambitum erigere, quibus undique collocatis damnosos lapides emittere non cessabant; quibus Walerannus, genere Teuthonicus, miles in opere martio probatus, cum suis commilitonibus viriliter resistentes multorum animas ex Galligenis excommunicatis ad tartara direxerunt; sed denique post diutinam obsidionem, ex præcepto regis, dictus Walerannus et complices ejus Lodowico castellum, salvis sibi equis et armis, reddiderunt ¹decimo tertio kalendas Januarii. In crastino autem, impositis suis in castello, Lodowicus venit ad sanctum Albanum, in die videlicet beati Thomæ apostoli, exigens ab abbate ut faceret sibi homagium; cui cum abbas respondisset, se nolle ei homagium facere, nisi prius absolveretur ab homagio quod fecerat regi Anglorum, Lodowicus vehementer indignatus juravit, se igne ipsam abbatiam cum villa tota crematurum, nisi faceret quod petebat. Tandem abbas prædictus, post comminationes terrificas, interveniente Saero comite Wintoniensi, finem fecit pro se et villa tota, dans Lodowico pro induciis usque ad purificationem beatæ Mariæ quater viginti marcas argenti; quo facto, Lodowicus ad urbem Londoniarum reversus est.

is taken.

¹ *Decimo tertio kalendas Januarii,*] or the 20th. The Waverley Annals have S. Lucy's day, or the 13th.

Incidentia de terra promissionis.

Eodem¹ anno, exspirante treuga inter fideles terræ promissionis et Saracenos, in primo passagio generale post concilium Lateranense, congregatus est exercitus Domini copiosus in Achon, cum² tribus regibus, Hierusalem scilicet, Hungariæ et Cypri. Adfuerunt etiam duces Austriæ³ et Moraviæ, cum militia magna regni Teuthonici et comitibus multis virisque generosis. Adfuerunt etiam archiepiscopi Nichossiensis, ⁴Jovensis, Argiensis, Hungariæ, Baiocensis, Bavergensis, Cicenensis, Monasteriensis et Trajectensis, et cum eis vir nobilis et potens Walterus de Avenis. Deinde patriarcha Hierosolymitanus, cum magna humilitate cleri et populi tollens reverenter vivificæ crucis signum, feria sexta post festum Omnium sanctorum profectus est ab Achon in castra Domini, quæ processerant ad ⁵Recordanam. Hoc autem Dominicæ crucis lignum post terram sanctam perditam reservatum fuit ad hæc tempora et a fidelibus occultatum; imminente enim conflictu Saracenorum tempore Salaadini cum Christianis, sicut a senioribus accepimus, crux secta fuit, cujus pars ad prælium delata et ibidem perditâ, pars tunc reservata exstitit, quæ nunc exhibetur. Cum tali quoque vexillo aciebus instruc-

A.D. 1216.
Progress of
the crusaders.

¹ *Eodem.*] The account following is taken from that by Jacobus de Vitriaco, who was an eye-witness; compare *Gesta Dei per Francos*, 1129, and *Hist. captation. Diametæ*, *Hist. Angl. Scriptt.* tom. ii. p. 435.

² *Tribus regibus.*] John, king of Jerusalem, Andrew of Hungary, [who, having washed himself in the river Jordan, would

stay no longer, but straightway returned home; *Holy Warre*, p. 152,] and Hugh of Cyprus.

³ *Austriæ et Moraviæ.*] Leopold and Otho.

⁴ *Jovensis;*] probably for Juvensis or Juvaviensis, the see of Salzburgh.

⁵ *Recordanam.*] So in *Jac. de Vitriaco*; *M. Paris* reads 'ad fluvium Jordanem.

A.D. 1216.
Progress of
the crusaders.

tis, processerunt fideles per planum Fabæ usque ad fontem Tubanniæ, eo die multum laborantes ; et, præmissis explorantibus, videntes ab adversariis concitari pulverem, incerti fuerunt utrum contra nos, an fugiendo, properarent. Sequenti die per montes Gelboe, quos habuerunt ad dextram et paludem ad sinistram, profecti sunt Bethsanam, ubi adversarius noster castrametatus est ; sed, metuens adventum tam copiosi Dei viventis exercitus et tam ordinate procedentis, tentoria tollens et fugiens terram militibus Christi vastandam reliquit, unde in vigilia sancti Martini Jordanem transeuntes corpora sua laverunt in eo fideles, et pacifice quieverunt ibidem per biduum victualium copiam reperientes. Deinde super littus maris Galileæ tres fecerunt mansiones, peragrantes loca in quibus Salvator noster mirabilia operari dignatus est, corporali præsentia cum hominibus conversatus. Aspexerunt Bethsaidam, civitatem Andreæ et Petri, tunc ad modicum casale redactum ; viderunt etiam loca ubi Christus discipulos vocavit, supra mare siccis pedibus ambulavit, in deserto turbas pavit, montem oraturus ascendit, et ubi post resurrectionem cum discipulis manducavit ; et sic per Capharnaum Achon reversi sunt, infirmos suos reportantes. Deinde aliam equitationem aggressi fideles prædicti perrexerunt ad montem Thabor, ubi primo aquarum inopiam, et postmodum per defossionem copiam, repererunt ; desperabant autem capitanei exercitus de ascensu montis, donec dictum est eis, castrum fore comprehensibile, a puero Saraceno. Consilium ergo inierunt, et Dominica prima Adventus, cum legeretur evangelium ‘ Ite in castellum quod contra vos est,’ patriarcha præcessit cum signo crucis, episcopis

et clero orantibus et psallentibus, [dum] exercitus clivum montis subiret; et licet mons præruptus esset undique, et velut impossibilis in ascensu et extra semitam tortam, omnes tamen viriliter ascenderunt. Johannes vero, rex Hierusalem, cum militia Christi, castellanum ab equo stravit et admiraldum unum, qui primo impetu intrepidi extra portas ad montem defendendum hostibus occurrerunt, in stuporem eos convertentes et fugam. Sed rex quantum meruit ascendendo, tantum demeruit descendendo; nam Templarii multi et Hospitalarii et seculares, quando infideles vires receperant, vulnerati sunt, sed pauci mortui. In hoc autem et in primo, de quo diximus, equitatu multitudinem maximam virorum, mulierum ac parvulorum apud Achon Christiani reduxerunt, ubi episcopus Achonensis parvulos, quoscumque vel prece vel pretio obtinere potuit, baptizavit; fœminas vero inter sanctimoniales distribuit et literis applicare fecit. In tertio autem equitatu, cui patriarcha cum clero et signo crucis non interfuit, multa incommoda, tum per latrunculos, tum ex hyemis incommodo, perpessi sunt fideles, præsertim in vigilia nativitatis Dominicæ, per viam, in qua illa nocte sacra tempestatem ventis commotam et pluviis invenerunt; in finibus etiam Tyri et Sidonis juxta Sarepta multa perpessi fuerunt incommoda, tam aeris intemperie, quam molestia corporali.

A.D. 1216.
Progress of
the crusaders.

Qualiter barones Angliæ propriam miseriam ad mentem reduxerunt.

Anno Domini MCCXVII. juvenis rex Henricus fuit ad Natale apud Bristollum, præsentem Walone legato et Willelmo Mareschallo, rectore ejusdem regis et regni. Erat autem ea tempes-

A.D. 1217.
The barons
incline to
return to
their allegiance.

A.D. 1217. tate inter optimates Angliæ fluctuatio maxima cui se regi committerent, juveni videlicet Henrico, an domino Lodowico; habebant enim ex Francigenis talem tantumque contemptum, quod multi eorum consolationem non admiserunt. Auxit præterea hujus perturbationis procellam, quod Lodowicus, spreto juramento, terras, possessiones et castella eorundem optimatum, quæ eorum auxilio subegerat, illis murmurantibus, in suam redegerat potestatem, ponens in eis milites et alienigenas nationes. Cæterum, turpe sibi videbatur ad regem, quem abjecerant, redire, ne viderentur canes ad vomitum revertentes; sicque hinc inde perplexi quassatum nequiverunt calamum reparare. Eodem tempore, decimo tertio kalendas Februarii, exierunt de castello, quod Monsorel appellatur, milites et servientes, ut prædis instarent et rapinis; quod cum per exploratores milites de Notingham cognovissent, venerunt eis obviam, et, facto congressu, ceperunt ex obstantibus decem milites et viginti quatuor servientes, et sic, tribus ex hostibus interfectis, cum læta victoria remearunt.

Qualiter Falcasius villam sancti Albani spoliavit.

S. Alban's
wasted by
Falcasius de
Breaute.

Per idem tempus, undecimo kalendas Februarii, ¹Falcasius, prædo pessimus, multitudine gravi congregata de præsidiis castrorum de Oxonia, Norhantona et Bedefordia, simul et Windleshores, militum et ruptariorum, venit ad villam sancti Albani in crepusculo vespertino, nocte scilicet ²sancti Vincentii, atque, inopinato impetu facto, villam totam spoliavit, homines et infantes cepit ac vinculis eos arctis-

¹ *Falcasius.*] Paris has much concerning this individual and his wife, Margaret Rivers, not noticed by Wendover below, un-
der the year 1224; ed. 1640, p. 321, *seq.*
² *Sancti Vincentii,*] the 22nd of January.

simis mancipavit; ad ostium quoque ecclesiæ A.D. 1217. beati Albani servientem quendam de curia interfecit, ad ecclesiam fugere cupientem; et sic, opere nefario a ministris diaboli consummato, abbati Willelmo significavit, ut sub omni festinatione mitteret ei centum libras argenti, alioquin ipse injecto igne villam totam cum ipso monasterio et suis ædificiis illico concremaret. Abbas vero post multas contradictiones, aliud non habens remedium, pecuniam postulatam concessit. Quibus ita gestis, dictus Falca-
sius cum suis prædonibus excommunicatis, et spoliis nimis damnosis turpiterque vinctis captivis et abductis, ad castellum de Bedeford citius convolvavit; deinde cum omni multitudine prædicta ad forestam de Walbergia properans cepit ibi Rogerum de Collevilla, et plus quam sexaginta cum eo clericos et laicos de provincia illa, qui prædæ causa ¹ibidem latebant.

De treugis statutis inter regem Angliæ et Lodowicum.

Circa eosdem dies nuntii Lodowici, qui pro eo steterunt in curia Romana, eidem Lodowico significaverunt, quod, nisi exiret ab Anglia, sententia excommunicationis, quam Walo legatus in eum tulerat, in die Cœnæ confirmaretur a papa. Hac itaque de causa statutæ sunt treugæ² inter Lodowicum et regem Henricum usque ad mensem de Pascha, ita scilicet, ut omnia remaneant in eo statu, quo fuerunt in die quo juratæ fuerunt treugæ, in castellis et rebus aliis, usque ad terminum constitutum.

Truce with
Louis.

¹ *Ibidem latebant.*] Paris adds a story of a vision, by which he was moved to go to S. Alban's and beg for absolution, which was granted him, on the supposition that he would make some

restitution of what he had plundered from the abbey; but this, as it appears, was no part of his intention.

² *Treugæ.*] Rymer, i. p. 147.

A.D. 1217. *Transfretavit*¹ igitur Lodowicus tempore Quadragesimali, eo pacto, quod nunquam deinceps gratiam baronum Angliæ habuerit sicut prius; nam continuo venerunt ad fidelitatem regis Henrici comes Willelmus Saresbiriensis, comes Willelmus Arundel, comes Willelmus Warennæ, et alii multi, dicto regi deinceps adhærentes; sed et magnus Mareschallus, Willelmum filium suum primogenitum ad regis fidelitatem revocans, partem Lodowici non mediocriter mutilavit.

Incidentia de terra promissionis.

Progress of
the crusaders.

Eodem² tempore exercitus, qui erat in Achon, quadrifarie divisus est; reges enim Hungariæ et Cypri Tripolim profecti sunt, ubi rex Cypri adolescens diem clausit extremum. Rex vero Hungariæ, brevi tempore ibidem commoratus, cum magno terræ sanctæ dispendio recessit; peregrinos enim et galeias, equos et jumenta, cum armis secum traxit, multum ne recederet a patriarcha rogatus, qui tandem cum sua sequela excommunicatus recessit. Alia pars³ pigrorum et timidorum, et eorum qui divitiis affluebant, in Achone remansit. Rex vero Hierusalem et dux Austriæ, cum Hospitalariis sancti Johannis et episcopis multis et aliis fidelibus, castrum in Cæsarea Palestinæ in brevi viriliter firmaverunt, licet frequenter hostium nuntiaretur adventus; ibi in basilica principis apostolorum festum Purificationis patriarcha cum sex episcopis solemniter celebravit. Templarii quoque, cum domino Waltero de Avenis

¹ *Transfretavit.*] According to Walter of Coventry, the occasion of Louis' absence was the threat of the pope's legates at the council of Melun, that they would put all France under an interdict

unless Philip consented to recall his son.

² *Eodem tempore.*] Jac. de Vitriac. p. 1130.

³ *Pigrorum.*] 'Peregrinorum,' *ibid.*

et aliis peregrinis et hospitali de domo Teuto- A.D. 1217.
nicorum, castrum quod olim 'Districtum,' nunc
autem 'castrum Peregrinorum,' dicitur, firmare
cœperunt; hoc autem castrum situm est inter
Caipham et Cæsaream, non longe distans a
mari; quapropter viam strictam ascendentibus,
et ad Hierusalem per eam descendentibus, 'Dis-
trictum' dicebatur. Hujus castrî prima utilitas
est, quod conventus Templariorum, eductus a
peccatrice et omni spurcitia plena civitate Achon,
usque ad reparationem murorum Hierusalem, in
hujus castrî præsidio residebit. Territorium
ejus piscariis, salinis, silvis, pascuis, agris, her-
bis, vineis, hortis et pomeriis abundat. Inter
Achon et Hierusalem nullum est municipium
quod Saraceni teneant, quocirca ex hoc ¹pluri-
mum damnificantur infideles. Inter Hierusalem
et Jordanem portum habet naturaliter bonum,
sex milliariis distans a monte Thabor; unde Sa-
raceni in campo, qui interjacet, longo et lato,
nec arare possunt nec seminare, propter hujus
castrî præsidium et levamen. Firmato itaque
tali castro, exercitus Domini reversus est in
Achon.

*De signis cœlestibus, unde excitata fuit Coloniensis
provincia ad obsequium crucis.*

Sub² his quoque diebus, mense Maio, feria
scilicet sexta ante Pentecosten, excitata fuit
provincia Coloniensis in obsequium Salvatoris;
nam in villa Bebon Frisiæ apparuit in aere tri-
plex forma crucis, una, coloris candidi, versus
aquilonem, altera versus meridiem, ejusdem
schematis et coloris, tertia, medio colore colo-
rata, habens crucis patibulum et formam ho-

Phænomena
in the
province of
Cologne.

¹ *Plurimum.*] The scribe, mis-
taking the word in his original,
has written 'privilegium.'

² *Sub his quoque diebus.*] Jac.
de Vitriac. p. 1131.

A.D. 1217. minis in eo suspensam, brachiis elevatis et extensis, cum infixione clavorum in manibus et pedibus et capite inclinato; et hæc media fuit inter alias, in quibus corporis humani effigies non apparebat: alia quoque vice et alio loco, in villa scilicet Frisiæ, quæ Fuserhuse appellatur, crux apparuit juxta solem cærulei coloris, et hanc plures quam priorem viderunt: tertia apparuit in villa Doctham, in qua beatus Bonifacius martyrio exstitit coronatus; ubi in festo ejusdem martyris, cum multa hominum millia convenissent, visa est crux magna et alba, ac si trabes ex adverso trabis artificialiter constructa fuisset; movebatur autem paulatim ab aquilone ad orientem, et hanc multa hominum millia conspexerunt.

De obsidione castri de Munsorel.

Siege of
Monsorel.

Per idem tempus, post Paschalem solemnitatem, procurante Willelmo Mareschallo, regis rectore et regni Angliæ, convenerunt ad obsidendum castrum de Munsorel Ranulphus comes Cestriæ, Willelmus comes Albemariæ, Willelmus comes de Ferrariis, Robertus de Veteri-ponte, Briennus de Insula, W. de Cantelupo, Philippus Marci, Robertus de Gaugi, Falcasius cum castellanis suis, et alii multi ex præsidiis castrorum, qui, collocatis machinis in locis congruis, dictum castellum acriter invaserunt. Erat summus in castello Henricus de Braibroc, et decem milites cum eo, viri strenuissimi, cum servientibus multis, qui hostibus assilientibus lapides pro lapidibus, tela pro telis, viriliter remiserunt; inclusi quoque, cum per multos dies castrum defendissent, ne forte longa obsidione deficere cogerentur, miserunt ad Saerum, comitem Wintoniensem, qui tunc Londoniis erat,

obsecrantes ut celeriter subveniret obsessis. Tunc A.D. 1217. comes præfatus, cujus illud municipium erat, ad Lodowicum, qui nuper de partibus transmarinis ad urbem Londoniarum redierat, veniens, postulavit eum cum amicis obnixius, ut subsidium mitteret militare per quod obsidio solveretur; tandem, habito tractatu ad invicem, communiter decreverunt, ut legio militum mitteretur, quæ obsidionem solveret et totam Lodowico provinciam subjugaret. Exierunt itaque ab urbe Londoniarum milites sexcenti et cum eis plusquam viginti millia armatorum, qui omnes aspirabant in aliena, habentes principes illius militiæ ¹comitem Perticensem, mareschallum Franciæ, comitem Wintoniensem Saerum, Robertum filium-Walteri, cum ²aliis multis, quos ad expeditionem hanc idoneos judicabant. Moventes autem castra pridie kalendas Maii, id est, die Lunæ proximo ante ascensionem Domini, profecti sunt apud sanctum Albanum quæque sibi obvia deprædantes. Ruptarii vero et prædones nequissimi de regno Francorum villas in gyrum perlustrantes ecclesiis et cœmeteriis non parcabant, quin omne genus hominum caperent et spoliarent ac diro membrorum cruciatu ad gravissimam redemptionem compellerent; abbatis quoque sancti Albani, cujus abbas paulo ante data pecunia magna Lodowico satisfecerat, prædonum manus evasit, ita quod nihil præter escas et pocula rapiebant.

¹ *Comitem Perticensem.*] Thomas, earl of Perche, son of Geoffrey earl of Perche and Mortagne; Anselme, *Hist. Geneal.* iii. p. 314. From a writ addressed to the sheriff of Wiltshire in behalf of the earl of Salisbury, it appears that the above-named

Geoffrey had possession of lands in the manor of Aldburn at the time of his death; *Rot. Claus.* p. 311.

² *Aliis multis.*] Brito adds Simon Pissianita; *Rec. des Hist.* xvii. p. 110.

De miraculo Dominicæ crucis.

A.D. 1217.
Miracle.

In crastino autem versus villam de Dunestaplia castra moventes, ecclesiam beati Amphibali, in villa de Redburnia sitam, usque ad femoralia monachos spoliabant; sanctorum insuper reliquias super sanctum altare rapientes funestis eas manibus polluerunt. Inter quos etiam quidam ex eis crucem argenteam et deauratam, in qua portio quædam Dominicæ crucis continebatur, tollens in sinu suo funesto sociis ignorantibus abscondit, sed, antequam ab ædibus oratorii recessisset, a dæmonio arreptus corruit in terram dentibus stridens et ore spumans, surgensque festinanter a dæmonio agitato in socios ensem vibrare disposuit; at illi ejus miseriam condolentes, ligatis manibus illius, causam penitus ignorantes, ad ecclesiam de Flamstede perduxerunt in suprema furia constitutum. Intranses autem ecclesiam prædones, ut eam spoliarent, obviavit presbyter indutus vestibibus albis, ut malitiam comprimeret impiorum; veruntamen aliquantulum de socio, quem furiosum ducebant, perterriti manus cohibuerunt a rapina, ubi, vidente presbytero et multis aliis, crux prædicta cecidit in terram, de sinu exsiliens furiosi; quam reverenter ac stupens presbyter arripiens, et a terra in editum elevans, quid hoc esset a prædonibus requisivit. Tandem in se reversi cognoverunt per virtutem animadversionis divinæ, quod a monachis, quos in proxima villa spoliaverant, crucem furtim sustulisset; in summa igitur angustia prædones constituti timuerunt valde, ne etiam ipsos spiritus nequam invaderet et, sicut socium suum fecerat, cruciaret. Tunc prædones nequissimi crucem illam cum tremore presbytero tradiderunt, adjuran-

tes per virtutem Dei et in periculo ordinis sui, A. D. 1217.
 ut, antequam cibum sumeret, ad locum accedens
 crucem monachis restitueret; presbyter vero
 cum festinatione ad oratorium beati Amphibali
 martyris veniens crucem reverenter tradidit, et
 omnia, quæ circa illam mirabiliter acta sunt,
 priori et fratribus enarravit.

*De solutione obsidionis castri Munsorel et obsidione
 castri Lincolnia.*

Exercitus igitur Lodowici ac baronum Angliæ Siege of
 Munsorel
 raised.
 apud Dunestapliam perveniens ibidem pernoc-
 tavit. Mane autem facto, versus aquilonem
 vexilla direxit et arma, ut obsidionem prædic-
 tam solvere maturaret; sed comes Cestrensis
 Ranulphus et alii, qui cum illo obsidionem
 agebant, ab exploratoribus præmuniti, expedi-
 tione dimissa, ad castrum sese de Notingham
 conferentes decreverunt communiter, ut hosti-
 um supervenientium ibidem explorarent pro-
 gressum. Barones itaque, cum, cunctis cœmete-
 riis et ecclesiis omnibus more solito per viam
 spoliatis, ad castellum de Munsorel pervenis-
 sent, communi omnium consilio decretum est,
 ut versus Lincolniam properarent, ubi Gileber-
 tus de Gant cum aliis baronibus supradictis diu-
 tinam obsidionem egerant, sed inanem. Trans-
 euntes igitur barones per vallem de Belvero,
 omnia ibi in usus prædonum cesserunt, quia
 pedites de regno Francorum, qui quasi spurcicia
 illius regionis et spuma erant, nihil omnino reli-
 querunt intactum; tanta namque in illis vige-
 bat paupertas et miseria, quod in vestibus cor-
 poreis unde pudenda contegerent ¹natura eis
 minime concessit. Denique ad Lincolniam per-

¹ *Natura.*] Unless put for 'naturalia,' it is difficult to see
 what is here intended.

A.D. 1217. venientes barones insultus fecerunt acerrimos in castellum, ¹quibus resistentes inclusi lapides et tela mortifera pro lapidibus et jaculis pro viribus remiserunt.

Quomodo rex Angliæ congregavit exercitum, ut dissolveret obsidionem castri Lincolnia.

Preparations
to relieve
Lincoln.

Cum hæc ibidem agerentur, Willelmus Mareschallus, regis custos et regni, de consilio Walonis legati et Petri, Wintoniensis episcopi, et aliorum, quorum consilio regni gerebantur negotia, fecit convocare omnes castellanos ad regem spectantes et milites, qui erant in præsiidiis castrorum in partibus diversis, præcipiens ut feria secunda in hebdomada Pentecostes apud Newerc ad edictum regis convenirent, et pariter cum [ipsis] obsidionem castri Lincolnensis dissolvere laborarent. At illi, quibus ardens inerat desiderium bellum conserere cum Francigenis excommunicatis et etiam pro patria pugnare, venerunt gaudenter ad diem præfixum et locum; cum quibus utique et ipse legatus cum aliis regni prælatis cum equis et viris bellicosis apparuit, ut regi inobedientes et domino papæ rebelles precibus insequerentur et armis; habuerunt enim justam, ut sibi videbatur, causam, cum præcipue innocens esset et quasi a peccato alienus, quem adversarii ejus exhæredare per superbiam laborabant. Cumque omnes in unum fuissent congregati, recensiti sunt in exercitu milites quadringenti, balistarii ferme ducenti quinquaginta; servientes quoque et equites tot et tales adfuerunt innumeri, quod vices militum possent pro necessitate supplere. Principes autem exercitus fuerunt Willelmus Mareschallus et Wil-

¹ *Quibus resistentes inclusi.*] was defended by a noble lady
Holinshed states that the castle named Nichola [de Camville.]

lelmus filius ejus, Petrus Wintoniensis episcopus in opere martio eruditus, comes Cestrensis Ranulphus, comes Saresbiriensis Willelmus, comes de Ferrariis Willelmus, comes Albemarlensis Willelmus ; adfuerunt et barones, Willelmus scilicet de Albeneio, Johannes Mareschallus, Willelmus de Cantelo et Willelmus filius ejus, Falcasius in opere illo laudabilis, Thomas Basset, Robertus de Veteri-ponte, Briennus de Insula, Gaufridus de Luci, Philippus de Albeneio, cum castellanis multis in opere militari expertis. Hi autem, apud Newerc triduanam facientes moram ad respirationem hominum et equorum, confessioni interim vacabant, corporis et sanguinis Dominici perceptione sua corpora muniebant, contra hostium incursiones Dominum protectorem habere quærentes ; sicque universi ad omnia provocati pro justitia mori vel vincere affectabant.

Qualiter, exercitu regis congregato, legatus omnes ad pugnam animaverit.

Tandem in hebdomada Pentecostes, feria sexta, post divinorum celebrationem sacramentorum, surgens legatus sæpe dictus ostendit coram omnibus quam iniqua erat Lodowici ac baronum, qui ei adhæserant, causa, pro qua fuerant excommunicati et ab unitate ecclesiæ segregati ; et, ut denique exercitum illum animaret ad pugnam, albis indutus vestibus cum clero universo Lodowicum nominatim excommunicavit cum complicitibus et fautoribus suis, et præcipue omnes illos, qui apud Lincolniam contra regem Angliæ obsidionem agebant, cum tota civitate, continens scilicet et contentum. Eis autem, qui negotium hoc in propriis personis expediendum susceperunt, de concessa sibi potestate ab omnipotente

March of the king's army,

A.D. 1217.

Deo et sede apostolica plenam suorum veniam peccatorum, de quibus veraciter confessi fuerunt, indulgit et in retributione justorum salutis æternæ præmia repromisit. Deinde, collata omnibus absolute et Dei benedictione, ad arma convolarunt universi, equosque cum festinatione ascendentes castra moverunt ovantes; venientes itaque ad villam de Stowe, quæ octo milliariis a Lincolnia distat, ibidem intrepidi pernoctarunt. Mane autem facto, bellis septem eleganter ordinatis densis agminibus, processerunt in hostes, nihil adeo metuentes quam fugam eorum, antequam ad civitatem venirent; balistarii quoque eorum exercitum semper præibant uno fere milliario; sarcinæ bigarum et summariorum cum victualibus et rebus necessariis exercitum tantundem sequebantur a tergo; vexillis undique micantibus et scutis, quæ terrorem non minimum videntibus incusserunt.

Qualiter barones ab urbe Lincolnæ exeuntes regis exercitum aestimaverint.

reconnoi-
tred by the
barons.

Barones vero, qui erant in civitate, et Francigenæ tantam conceperunt securitatem in causa sua obtinendi, ut referentibus sibi nuntiis de adventu adversariorum sannas redderent et cachinnos, non cessantes ex mangonellis lapides damnosos projicere, ut castelli muros dissolverent. Sane Robertus filius-Walteri et S. comes Wintoniensis, cum audissent hostes appropinquare ad civitatem, exierunt ab urbe, ut progressum eorum inspicerent et bellatorum numerum aestimarent; qui, cum diligenter hostium adventantium circumstantia conspexissent, redierunt in urbem ad socios, dicentes, ' Ordinate procedunt contra nos bellatores isti, sed nos tamen multo plures sumus quam illi; unde con-

silium nostrum est, ut exeamus obviam eis usque A.D. 1217. ad ascensum montis, quia, si ita fecerimus, capiemus omnes illos ut alaudas.' Quibus comes Perticensis et Mareschallus respondentes dixerunt, 'Vos æstimastis illos juxta scientiam vestram; et nos exhibimus modo, ut æstimemus eos juxta consuetudinem Gallicanam.' Exierunt ergo ut æstimarent exercitum regis venientem, sed in æstimatione decepti fuerunt; nam, cum primo vidissent a tergo exercitus bigas et sarcinas cum custodibus earum, qui cuneos jam ad bellum dispositos sequebantur, æstimaverunt unum esse per se exercitum, quia ibi multitudinem multam cum vexillis micantibus inspexerunt; habuerunt enim singuli magnatum duo vexilla, unum, ut jam diximus, cum sarcinis a tergo remotius cuneos sequens, et aliud corpora singulorum præcedens, per quod cognoscerentur prælia conserentes; sicque comes Perticensis cum Mareschallo illusus ad socios remeavit incertus. Dederunt ergo consilium isti sodalibus reversi in civitatem, quorum consilium præterire nefas erat, ut divisis optimatibus custodirentur portæ civitatis ab eis hostesque ab ingressu ejus arcerentur donec cepissent castellum, cujus jam captio imminebat. Placuit multis consilium, veruntamen pluribus displicebat. Obseratis itaque portis et custodibus adhibitis, omnes sese ad defensionem parabant.

*De prælio apud Lincolniam commisso, quod quidam
'Nundinas' appellant.*

Interea exercitus regis a parte castelli urbi Battle of
Lincoln. appropinquans, cum a castellanis cognitus fuisset, miserunt clam nuntium per posticum, quod erat a tergo castelli, ad majores exercitus, qui eis omnia quæ fiebant interius nuntiavit. Dixit

A. D. 1217.
Battle of
Lincoln.

etiam, quod, si vellent, potuerunt ingressum habere per posterulam, quæ propter adventum eorum fuerat jam aperta; at illi per eam noluerunt omnes intrare, sed miserunt Falcasium cum agmine toto cui præerat, et cum balistariis omnibus, qui portam civitatis saltem unam exercitui aperirent. Deinde omnis multitudo ad portam se aquilonarem conferens illam confringere vacavit; nec propter hæc barones cessabant de petrariis ad castellum lapides emittere ponderosos. Sed Falcasius interim castrum cum agmine, cui præerat, ac balistariis omnibus ingressus statuit eos subito supra muros domorum et in propugnaculis castri, qui illico tela mortifera in dextrarios baronum dirigentes equos cum sessoribus suis prostraverunt in terram, ita quod quasi in ictu oculi peditum maximam, militum ac magnatum, multitudinem effecerunt. Videns autem Falcasius ex nobilioribus adversariorum suorum plurimos in terram prostratos, prorupit de castro cum suis audacter in medium hostium; sed ab irruentibus in eum legionibus captus est et abductus, donec per probitatem balistariorum ac militum suorum liberatus est. Interea moles totius exercitus regis, januis civitatis licet cum difficultate contractis, villam ingrediens audacter prorupit in hostes. Tunc videres igitur ex ictibus gladiorum igneas prosilire scintillas et ad modum tonitruï horribilis fulminare contra capita galeata; sed tandem per balistas, quorum probitate equi, in quibus sedebant barones, telis confossi sunt et ad instar porcorum jugulati, pars baronum fuit penitus infirmata, nempe, quando equi in terram corruerunt interfecti, sessorum eorum capiebantur, cum non esset qui eos liberaret. Tandem cum regis militia, baronibus pe-

nitus enervatis, cepisset ex eis militum multitudinem numerosam ac vinculis omnes mancipasset, irruit densis agminibus in comitem Perticensem, circumvallando eum undique; sed demum, cum impetum irruentium in eum sustinere non potuit, hortati sunt ut se redderet, quatenus vivus evadere potuisset. At ille cum juramento affirmavit, quod se non redderet Anglis, qui proprii regis proditores fuerunt; et, his auditis, irruit quidam in eum percutiensque illum in oculo cerebrum perforavit, et corruens in terram ¹verbum ultra non edidit. Videntes itaque Galligenæ phalanges quod major eorum cecidisset, inierunt fugam, tam pedites quam equites, sibi nimis damnosam; nam flagellum portæ australis, per quam fugerunt, quod ex transverso illius portæ fuerat fabricatum, fugientes non mediocriter impedivit; etenim, quotiescunque aliquis adveniens exire voluit, oportebat eum ab equo descendere et portam aperire, quo exeunte, porta denuo claudebatur flagello ut prius posito ex transverso, sicque porta illa fugientibus nimis molesta fuit. Insecuti sunt autem fugientes barones et Francos milites regis; sed, licet plures in fugiendo capti fuissent, fecte tamen insecuti sunt eos, quia, nisi consensus consanguinitatis et carnis intervenisset, nec pes unus ex omnibus evasisset. Sed, ne sermonem inaniter diutius protraham, capti sunt ex baronibus capitaneis Saerus comes Wintoniensis, Henricus de Buhun comes Herefordiæ, comes Gilebertus de Gant, quem nuper Lodowicus fecerat comitem Lincolnensem; comes Perticensis ibi remansit in æternum.

A.D. 1217.
Battle of
Lincoln.

¹ *Verbum ultra non edidit.*] year of his age; p. 111. The
According to Brito, he had not | Waverley Annals say that he
then completed the twenty-second | was not yet thirty.

A.D. 1217.
Prisoners
taken at
Lincoln.

Capti sunt etiam barones, ¹Robertus filius-Walteri, Richardus de Muntfichet, Willelmus de Mubrai, Willelmus de Bello-campo, Willelmus Maudut, Oliverius de Haencurt, Rogerus de Creisi, Willelmus de Colevilla, Willelmus de Ros, Robertus de Roppele, Radulphus Chainedut, et alii multi, quos longum esset enumerare. Capti sunt etiam milites trecenti, præter servi- entes, equites et pedites, qui facile sub numero non cadebant. Comes Perticensis in pomerio hospitalis extra villam sepultus est. Reginaldus etiam cognomento Crocus, miles de familia Falcasii, vir strenuus, ibi interfectus est et apud abbatiam de Crocstune honorifice sepultus. Interfectus est præterea in illo conflictu serviens quidam ex parte baronum, omnibus ignotus, qui extra civitatem in quadrivio quasi excommunicatus sepultus est. Isti tres tantummodo ex omnibus in tanti discrimine belli occisi referuntur.

De spoliis civitatis et rapinis.

Plunder of
the city.

His ita gestis, invenerunt regii bellatores in plateis civitatis bigas baronum et Francorum, cum summariis et sarcinis vasis argenteis et varia supellectili simul et utensilibus onustas, quæ omnia in usus eorum sine contradictione cesserunt. Spoliata itaque civitate universa usque ad ultimum quadrantem, ecclesias omnes totius urbis consequenter spoliantes, arcas universas cum armariis securibus ac malleis confregerunt, rapientes in eis aurum et argentum, pannos omnis coloris ac muliebria ornamenta, annulos aureos, cum scyphis et lapidibus pre-

¹ Robertus filius-Walteri.] In the Close Rolls may be seen writs to the sheriffs ordering the restitution of lands to Fitzwalter, | Montfichet, Beauchamp, Chenduit and others, who returned to their allegiance to the king.

tiosis. Nec etiam ecclesia cathedralis hanc A.D. 1217. pestem evasit quin subiret iudicium aliarum, datum enim erat militibus in mandatis a legato, ut canonicos omnes tractarent velut excommunicatos, sicut tales qui hostes fuerunt Romanæ ecclesiæ ac regis Angliæ ab initio guerræ motæ; præcentor autem ecclesiæ illius, Gaufridus scilicet de Drepinges, undecim millia marcas argenti se doluit amisisse. Tandem cum omnia mercimoniorum genera rapuissent, ita quod nihil in aliquo domatis angulo remansit intactum, reversi sunt singuli ad dominos suos omnes divites effecti, atque, ab omnibus pace regis Henrici per civitatem denunciata, epulabantur et bibebant cum jocunditate. Facta est autem ista belli congressio, quam in opprobrium Lodowici ac baronum 'Nundinas' appellabant, quarto decimo kalendas Junii, sabbato scilicet in hebdomada Pentecostes, habens initium hora inter primam et tertiam media, sed ante horam nonam a bonis negotiatoribus sunt omnia consummata. Verum ex matronis civitatis multæ fuerunt aquis submersæ, quæ, ut scandalum evitarent, parvas ingressæ naviculas cum pueris et ancillis et rebus domesticis defecerunt in via, sed postmodum a quærentibus inventa fuerunt in flumine vasa argentea cum rebus aliis multis, quæ suis inventoribus profuerunt; erant enim naviculæ nimis oneratæ, et ideo subito perierunt omnes matronæ naves regere nescientes, impetus enim male solet omnia ministrare. Omnibus igitur hunc in modum consummatis, præcepit Willelmus Mareschallus castellanis omnibus, ut cum prisonibus suis redirent ad propria, eosque sub arcta servarent custodia donec de illis regis voluntatem audirent. At idem Mareschallus eodem die, antequam

A.D. 1217. cibum sumeret, ad regem reversus retulit coram legato omnia quæ acciderant, qui gratias Deo cum lachrymis agentes fletum citius converterunt in risum. Mane autem facto, venerunt nuntii ad regem, qui dixerunt, milites de Munsorel castrum reliquisse et aufugisse; unde rex vicecomiti de Notingham dedit in mandatis, ut, personaliter accedens ad castellum, illud subverteret ac penitus complanaret.

De fuga baronum et Francorum a Lincolnia.

Flight of the French.

Interfecto, ut dictum est, comite Perticensi, inierunt fugam omnes, tam equites quam pedites, versus urbem Londoniarum, quorum primus erat Mareschallus Franciæ cum castellano de Arras et Galligenis universis; veruntamen multi ex illis, et præcipue pedites fere omnes, interfecti fuerunt, antequam ad Lodovicum pervenissent, exierunt enim eis obviam homines villarum, per quas fugam fecerunt, cum gladiis et fustibus, et multos plagis impositis peremerunt. Milites quoque circiter ducenti ad urbem Londoniarum venientes Lodovico sese præsentaverunt, luctuosa ei damna nuntiantes; quibus ipse subsannando respondens ait, quod per eorum fugam socii eorum capti fuerunt, quia, si ipsi in prælio remansissent, et se forte et socios suos a captione et periculo liberassent. Credendum est itaque confusionem hanc Lodovico ac baronibus Angliæ justo Dei accidisse iudicio, qui, jam fere per biennium in sententia excommunicationis inveterati, nisi per divinam plecterentur severitatem, dicerent homines in cordibus suis 'Non est Deus,' et sic non inveniretur qui faceret bonum, nec etiam usque ad virum.

De morte Innocentii papæ.

Eodem anno papa Innocentius, postquam sedisset annis octodecim, mensibus quinque et diebus quatuor, decimo septimo kalendas Augusti humanæ naturæ debitum solvit; cui succedens Honorius, qui ¹Cincius antea dicebatur, sedit in cathedra Romana annis decem, mensibus septem et diebus novendecim.

A.D. 1217.
Death of
Innocent III.

Ut Lodowicus ad patrem suum propter milites miserit.

Eodem tempore Lodowicus de infortunio, quod sibi apud Lincolniam acciderat, prolapsus in desperationem, ne propositum suum ad effectum perduceret, exquisito usus consilio nuntios suos ad patrem suum et uxorem suam dominam Blancam destinavit, proponens eis damna irreparabilia, quæ sibi apud Lincolniam et baronibus Angliæ contigerant, quæ magis a Deo quam hominibus sibi doluit irrogata; rex namque Anglorum adeo jam invaluit, quod in manu armata omnes provincias circa urbem Londoniarum perlustrans exitum civitatis prædictæ sibi et suis complicibus jam præclusit. ‘Deficiunt præterea,’ ait, ‘nobis et nostris in urbe omnia victualium genera, quæ etiam si abundarent in civitate, non habemus unde illa emamus; quocirca vobis significo, quod nec habeo facultatem resistendi, nec ab Anglia recedendi, nisi mihi provideatis potenter in subsidio militari.’ Cumque ad patrem de filio et ad uxorem de marito talia pervenissent, doluerunt valde illum in tali articulo esse constitutum; et quoniam rex timuit filio excommunicato opem ferre, velut qui mul-

State of
Louis’
affairs in
England.

¹ *Cincius.*] Cencio Savelli, afterwards Honorius III.; he died in March 1227.

A.D. 1217.

toties de consensu filii fuerat acriter increpatus a papa, summam negotii imposuit uxori Lodowici, quæ non segniter rem sibi impositam exsequens milites trecentos strenuos et in rebus militaribus bene paratos in subsidium viri sui cum multa armatorum manu transmittit. Sed hæc omnia regem Anglorum latere non poterant, qui jam viribus resumptis cum ingenti exercitu australia maris littora occupaverat et urbem Londoniarum nunc decreverat obsidione vallare; assignavit ergo rex, de consilio magni Mareschalli, Philippum de Albeneio et Johannem Mareschallum simul cum quinque portubus et aliis armatis multis, qui semitas maris solerter speculantes Francorum explorarent et præpedirent adventum.

Sea-fight in
the channel.

Igitur in die sancti apostoli Bartholomæi classis Francorum Eustachio Monacho, viro flagitiosissimo et ¹piratæ nequissimo, commissa est, ut eam sub salvo ad urbem Londoniarum conduceret et integram Lodowico præsentaret. Ingressi itaque mare milites supradicti habuerunt a tergo flatum turgidum, qui eos versus Angliam vehementer urgebat, sed insidias sibi fuisse paratas funditus ignorabant. Cum itaque rapido volatu multam maris viam emensi fuissent, piratæ regis Anglorum ex obliquo venientes recensitæ sunt in parte adversa naves quater viginti, quapropter timuerunt bellum conserere navale cum navibus paucis, quæ inter galeas et naves alias numerum quadragenarium non excesserunt; sed tandem de casu, qui apud Lincolniam acciderat, in quo pauci de multis triumpharunt, animati audacter a tergo irruerunt in hostes; quod cum Francigenæ cogno-

¹ *Piratæ.*] 'Pietate' in MS.

verunt, ad arma prosiliunt et hostibus viriliter A.D. 1217. restiterunt. Philippus quoque de Albeneio et balistarii, cum sagittariis, inter Francos tela mortifera dirigentes nimiam ex obstantibus in brevi stragem fecerunt. Habuerunt præterea galeias ferro rostratas, quibus naves adversariorum perforantes multos in momento submerserunt; calcem quoque vivam et in pulverem redactam in altum projicientes, vento illam ferente, Francorum oculos excæcaverunt. Fit gravissimus inter partes conflictus, sed tamen pars Francorum, quorum usus non fuerat prælium navale conserere, in brevi erat funditus infirmata; nam ab Anglis bellatoribus et in navali prælio eruditis telis confodiebantur et sagittis, lanceis jugulabantur, gladiis truncabantur, navibus perforatis submergebantur, nec erat spes ulla Francigenis evadendi, unde, ne caperentur ab hostibus vivi, sponte sese in maris fluctibus projecerunt, eligentes potius mori quam ab Angligenis subjugari. Omnibus igitur subjugatis qui vivi remanserant ex nobilioribus Francigenis, victores Angli naves omnes viribus obtentas funibus colligabant, atque cum læta victoria versus Doveram æquora sulcantes Deum in suis operibus collaudabant. Videntes ergo milites castelli inopinatam Dei virtutem exierunt obviam venientibus Anglis, atque Gallos malefatatos vinculis arctioribus constrinxerunt. Inter cæteros autem de fundo cujusdam navis extractus est, diu quæsitus sed tandem repertus, Eustachius Monachus, proditor regis Angliæ et pirata nequissimus, qui, cum se deprehensum cognovisset, obtulit pro vita sua et membris magnam pecuniæ quantitatem, et quod de cætero sub rege Anglorum fideliter militaret; quem arripiens Richardus, filius regis Johannis no-

A. D. 1217.

thus, ait, ' Nunquam de cætero falsis tuis promissionibus quenquam in hoc seculo seduces, proditor nequissime ;' et sic educto gladio caput ejus amputavit. Spolia itaque navium in auro, argento, pannis sericis et armis collegerunt regales ministri ; atque, prisonibus sub salvo deputatis, significavit regi Philippus de Albeneio quæ gesta fuerant, qui pro victoria sibi cælitus concessa Dominum glorificavit, qui in rebus humanis semper est et ubique mirabilis. Hujus autem rei eventus cum ad Lodowici notitiam pervenisset, multo fortius doluit quam de infortunio sibi apud Lincolniam irrogato.

*De pace et concordia facta inter Henricum regem
Angliæ et Lodowicum.*

London
besieged by
the earl of
Pembroke.

Mareschallus igitur, regis et regni rector, congregavit exercitum grandem militum pariter et clientum, atque in fortitudine gravi ad urbem Londoniarum se conferens obsedit eam per gyrum, id est, per terram simul et aquam, omneque inclusis victualium genus subtrahens ad deditionem eos compellere satagebat ; at Lodowicus in arcto positus significavit legato pariter ac Mareschallo, quod ipse voluit consilio eorum in omnibus obedire, ita tamen quod, salvo honore suo et sine suorum scandalo, pacem congruam providerent. At illi, in quibus totum pendebat negotium, et qui Lodowici liberationem supra modum desiderabant, quandam pacis formam in scripto redactam ei remiserunt ; cui si consentire vellet, ipsi providerent et ad hoc sese obligarent, quod liberum sibi ac suis omnibus imprisiis ab Anglia facerent habere recessum ; sin autem, ipsi subversionem ipsius et scandalum omnibus modis procurarent. Hanc autem pacis formam cum Lodowicus et ejus

consiliarii inspexissent, placuit valde quod licuit A.D. 1217. eis ab Anglia recedere, ubi sibi inutile videbatur diutius commorari; mandavit itaque Lodowicus legato et magno Mareschallo, ut diem certum providerent et locum, ubi hæc prætaxata possint celeriter ad effectum perducere. Partibus autem in hoc consentientibus, convenerunt ad colloquium prope villam de Stanes, juxta flumen Thamisiæ, ad pacem reformandam, rex Henricus cum legato et magno Mareschallo et aliis multis ex una parte, Lodowicus cum comitibus ac baronibus et aliis imprisiis suis ex altera; ubi, divina cooperante gratia, in subscriptam pacis formam communiter consenserunt tertio idus Septembris.

De forma pacis, et de gravi punitione eorum qui excommunicati erant pro rege.

Juravit¹ in primis Lodowicus et omnes excommunicati et imprisii ejus cum eo, tactis sacrosanctis evangeliiis, quod starent judicio sanctæ ecclesiæ et quod de cætero fideles erunt domino papæ et ecclesiæ Romanæ. Juravit etiam, quod incontinenti recederet cum omnibus suis de regno Angliæ, nunquam in vita sua malo animo reversurus; et quod pro posse suo patrem suum Philippum induceret, ut Henrico, Anglorum regi, redderet omnia jura sua in partibus transmari-
Form of peace concluded with Louis.

nis. Juravit insuper, quod omnia castra cum terris omnibus, quas ipse et sui per werram occupaverant in regno Angliæ, regi et suis redderet incontinenti. Rex autem Anglorum, tactis sacrosanctis evangeliiis, juravit cum legato et Mareschallo, quod redderet baronibus Angliæ et aliis omnibus de regno omnia jura et hæ-

¹ *Juravit.*] See the articles in Rymer, i. p. 148.

A.D. 1217.

reditates suas, cum omnibus libertatibus ante petitis, pro quibus discordia fuit exorta inter Johannem, regem Angliæ, et barones. Prisones omnes, qui ante hanc pacem provisam se redemerant, et suæ redemptionis jam factæ pecuniæ partem suis creditoribus solverant, quod solutum est non reddatur eis; sed, si quid super fuerit ad solvendum, debitori penitus relaxetur. Prisones universi, qui apud Lincolniam capti erant vel in prælio navali apud Doveram, sive in parte regis, vel in parte Lodowici, ubicumque statim sine omni difficultate et sine omni redemptione et censu ¹liberarentur. Et, his ita gestis, absolutus est ²Lodowicus cum omnibus secutoribus suis, servata ecclesiæ forma, ac deinde singuli ruentes in pacis osculum tristem lætitiæ sub fraudis prætextu plurimi palliabant; quo facto, Lodowicus Londonias reversus est, ubi præ nimia a civibus paupertate quinque millia libras sterlingorum mutuo accipiens sub conductu magni Mareschalli ad mare cum festinatione pervenit et cum opprobrio sempiterno ad ³Gallias transfretavit. Ab hoc quoque absolutionis et pacis beneficio excepti fuerunt episcopi, abbates, priores, canonici seculares et clerici multi, qui Lodowico ac baronibus consilium præstiterant et favorem, et maxime magister Simon de Langetuna, cum magistro Gervasio de Hobregge, qui in tanta obstinatione

¹ *Liberarentur.*] In the Chron. of Mailros it is stated that Henry paid Louis ten thousand marks to meet the expenses he had incurred; p. 195. In the Close Rolls are several entries of writs ordering the payment of monies to discharge a debt of six thousand marks due to Louis; pp. 360, 369.

² *Lodowicus.*] He walked ungirded and barefoot from his own tent to that of the cardinal; Chron. Mailros. p. 195.

³ *Ad Gallias transfretavit.*] See letters of safe conduct in behalf of Louis and his followers, in Norfolk, Suffolk, Essex, and Hertford, in Rymer, i. p. 148.

diu perstiterant, ut Lodowico et baronibus excommunicatis divina facerent celebrare mysteria a presbyteris excommunicatis, unde ab omnibus beneficiis spoliati a legato ¹Romam ire compulsi sunt; nam illico post recessum Lodowici ab Anglia legatus misit inquisitores per omnes Angliæ provincias, qui quoscumque de consensu etiam levissimo culpabiles invenerunt, cujuscumque essent ordinis vel dignitatis, suspensos miserunt ad legatum et ab omni beneficio spoliatos, qui illorum beneficia suis clericis abundanter distribuit atque de damnis aliorum suos omnes divites fecit. Hugo quoque, Lincolnensis episcopus, in Angliam veniens mille marcas pro episcopatu suo recuperando ad opus domini papæ, et centum marcas legato, de probata pecunia numeravit; cujus exemplum multi, tam episcopi quam viri religiosi, insecuti sump- tibus nimis damnosis gratiam sibi reconciliabant legati. Clericorum vero et canonicorum secularium ubique haustu tam immoderato loculos evacuavit, ut, juxta evangelicam sententiam, ea quæ erant dispersa congregaret in unum et multis ex portionibus unum grandem accumularet acervum.

De Coloniensibus et Frisonibus iter ad terram sanctam agentibus.

Circa² dies istos facta est motio maxima ex Coloniensium et Frisonum provinciis virorum fortium et bellatorum, qui a principio prædicationis crucis post generale concilium trecentas

Progress of the crusaders.

¹ *Romam ire compulsi sunt.*] The order for their leaving the kingdom is printed in Rymer, from the Rot. Claus. dated Stoke, the 18th of February; see also Rot. Claus. p. 377.

² *Circa dies istos.*] Upon the works to be consulted for the history of this crusade, see Michaud, Hist. des Croisades, iii. p. 435.

A.D. 1217. naves magno studio fabricatas ingressi sunt, ut vota suæ peregrinationis exsolverent Crucifixo, qui sulcantes æquora velis patentibus, major pars eorum cum magna bellatorum virtute applicuit Lissebonam, ubi inter eos exorta dissensio in obsidione cujusdam castri fortissimi, quod Alchacia nuncupatur, quibusdam procedere cupientibus, aliis ibidem volentibus hyemare; sicque classe divisa, pars apud ¹Cajetam et Tornetum hyemavit, et pars altera duos habens capitaneos, Willelmum scilicet Holandiæ ducem et comitem de Weiz Georgium, Alchaciam obsedit, qui cum adhuc in obsidione essent, congregata est contra eos Saracenorum maxima multitudo, contra quam fideles viriliter decertantes virtute divina infideles vicerunt. Rex unus paganorum occisus est, et multi trucidati atque in captivitatem adducti; castellum vero tandem per Teuthonicos captum est et a Christianis possessum.

De obsidione castelli de Newerc et Roberto de Gaugi.

A.D. 1218.
Siege of
Newark.

Anno gratiæ MCCXVIII. rex Henricus ad natale Domini fuit apud Norhantonam, Falcasio regiæ festivitati necessaria omnia ministrante. Erant autem his diebus multi in Anglia, quibus tempore belli præteriti dulcissimum fuerat de rapinis vixisse, unde nunc post pacem denuntiata et omnibus concessam non potuerunt manus a præda cohibere; horum autem principales fuerunt incentores, Willelmus comes Albemariæ, Falcasius cum suis castellanis, Robertus de Veteri-ponte, Brienus de Insula, Hugo de Baillul, Philippus Marci et Robertus de Gaugi, cum aliis multis, qui castella quorun-

¹ *Cajetam et Tornetum.*] ‘Gae- | aco, p.1131; probably for Gaetta
tam et Cornetum;’ Jac. de Vitri- | and Sorrento.

dam episcoporum ac magnatum cum terris et possessionibus, contra regis prohibitionem et illorum voluntatem, detinere præsumpserunt eisdem; inter quos Robertus de Gaugi, post multas regis admonitiones, castellum de Newerc cum villa tota et pertinentiis, quæ ad jus Hugonis, Lincolniensis episcopi, spectabant, ei reddere contradixit. Ex qua re magnus Mareschallus in indignationem versus, jubente rege, exercitum grandem congregavit, atque, eodem rege¹ comite, ad castellum prædictum hostiliter accessit; et, cum tandem appropinquassent ad castellum, præmiserunt armatos, ut inclusis exitum præcluderent, ne, sicut fieri solet, exeuntes villam injectis ignibus concremarent. Quos cum Robertus ejusque commilitones venire cognovissent, exierunt cum impetu de castello, sed ab irruentibus in eos militibus regis compulsi sunt denuo in castellum redire, ubi Willelmus² de Diva, miles de familia Hugonis, Lincolniensis episcopi, dum eos castellum ingredienti insequeretur, interfectus est et plures alii vulnerati; ex quo facto rex et Mareschallus perturbati jusserunt machinas collocari in gyrum castelli, ut muros petrariarum continua verberatione dissolvere laborarent. Duravit autem obsidio octo fere diebus, in quibus amici prædicti Roberti cum episcopo Lincolniensi de pace tractantes in hoc, rege annuente, pariter

¹ *Rege comite.*] The following rather curious writ to the mayor of Lincoln, issued at the time that the king was before Newark, is in the Close Rolls, p. 365. 'Precipimus tibi, quod sicut te ipsum et omnia tua diligis, statim visis litteris istis, venire facias usque Newerc mille cordas de Kanne ad petrarias et mango-

nellos trahendos et ducentos pikosios, et custum quod ad hoc posueritis computabitur tibi ad scaccarium.'

² *Willelmus de Diva.*] The writ, ordering the restitution of his property upon returning to his fealty, is dated Oxford, 23rd July 1217.

A.D. 1218. consenserunt, ut episcopus memoratus daret Roberto de Gaugi pro victualibus, quæ erant in castello, centum libras sterlingorum; et sic, obsidione soluta, unusquisque ad propria remeavit.

De motione facta a peregrinis terræ sanctæ ab Achon usque ad Damietam.

March of the
crusaders on
Damietta.

Eodem anno confirmatum fuit consilium domini papæ Innocentii, sicut provisum fuerat in concilio Lateranensi, de introducenda Christi militia in terram Ægypti; mense enim Maio, præparatis cogonibus, galeis et aliis navibus onerariis multis, profecti sunt de Achon, Johannes rex Hierusalem, patriarcha, cum episcopis Nichossiensi, Achonensi, ¹Bethlemitano, duce Austriæ, magistris Templi et Hospitalis sancti Johannis et sanctæ Mariæ Teuthonicorum, ac Christianorum multitudine copiosa. Borea itaque aliquantulum turgescente, exercitus Domini prosperis velis die tertio ad portum applicuit Damietæ. Applicantes autem quidam de exercitu terram ceperunt hostilem sine sanguinis effusione; sed, paucis sibi occurrentibus Saracenis equitibus, Friso quidam, fixo in terram genu dextro, et manu sinistra circumducens ancile, dextra lanceam vibrat et ferrum. Intuitus eum quidam Saracenus existimavit eum ludere, sed subito Saracenus a Frisone percussus, aliis fugientibus, cum equo eques prostratus est in terram; et sic absque omni impedimento castrametati sunt fideles inter littus maris et ripam Nili fluminis, et ibi tentoria fixerunt. Hoc etiam miraculum fecit Deus fidelibus suis, quod in primo adventu eorum aqua fluminis ma-

¹Bethlemitano.] ‘Gyrmideno;’ Jac. de Vitriaco, p. 1132.

ri conjuncti dulcis hauriebatur, quæ postmodum A.D. 1218. salsa fuit usque ad Casale, quod sursum per miliare a Damietta distat. Itaque post adventum Christianorum apud Damietam facta est eclipsis lunæ fere generalis, quam in defectum Saracenorum interpretati sunt Christiani, qui sibi incremento et decremento ejus magnam attribuunt conjecturam.

De obsidione turris Damietæ in Nilo flumine sitæ.

His¹ ita gestis, viderunt fideles Christi turrim Siege of the tower near Damietta. quandam altam, et ex structura lapidum fortem nimis et pulcherrimam, non longe ab urbe Damietæ in medio Nili fluminis sitam, a qua catena quædam ferrea et enormiter grossa ex transverso flumine protendebatur usque ad urbem super aliam ripam Nili fluminis constitutam. Hæc autem turris omnium judicio ante obsidionem Damietæ fuerat subjuganda, sed Frisones more solito impatientes, Nilo transito, jumenta Saracenorum tulerunt, et volentes in ulteriori ripa castrametari stabant pugnantes contra paganos, qui eis de civitate obviam processerunt; sed a patriarcha per obedientiam revocati fuerunt, quia inutile videbatur principibus Christianis, quod turris relinqueretur post tergum eorum paganis repleta. Principes interea militiæ Crucifixi de captione turris nimis solliciti viderunt eam capi non posse fame, propter civitatis vicinitatem; neque suffossione, propter aquæ circumfluentis importunitatem; neque insultu petrariarum aut trebuculorum ictibus, quia, cum id multis esset diebus attentatum, parum vel nihil profecerunt. Sane in hoc tandem omnes pariter consenserunt fideles, ut, navibus

¹ *His ita gestis.*] Jac. de Vitriaco, p. 1132.

A.D. 1218.

simul et cogonibus conjunctis, in malorum summitatibus scalas præpararent et in eis balistarios statuerunt et armatos, unde suum propositum perducerent ad effectum. Igitur dux Austriæ et Hospitale sancti Johannis super duos cogones duas scalas fabricarunt, quæ circa festum sancti Johannis Baptistæ contra turrin fuerunt erectæ, illam viriliter defendentibus Saracenis. Hospitaliorum scala, proh dolor! confracta suos prius præcipitavit in flumen bellatores; secunda vero scala, ducis videlicet Austriæ, simili modo cum malo cecidit et milites strenuos et alios armatos in Nilum demersit, sed horum omnium animas Christus in cælum levavit victrici martyrio coronatas. Lætati sunt Ægyptii vehementer, fidelibus subsannantes et in opprobrium eorum buccinis perstreperentes, et e contrario mœror et luctus Christianos invasit. Tunc Frisones et Teutonici, quorum dux fuit comes Adulphus de Monte, vir nobilis et potens, navem quandam cum propugnaculis munierunt et in summitate mali castellulo ordinato. Ipsa vero navis a bellatoribus civitatis, turris et pontis, igne Græco impetebatur et jaculis vehementer, quæ tandem igne correpta, cum timerent Christiani ne penitus consumeretur, defensores ejus ignem viriliter exstinxerunt, ac deinceps damna plurima per balistarios, qui intus erant, Saracenis fecerunt; sed et aliæ fidelium naves propugnaculis munitæ, hujus assultus tempore quæ anchoris turri adhærebant fixæ, multa sustinuerunt rerum et hominum detrimenta.

De captione turris prædictæ et mira Christianorum probitate.

The tower taken.

Tandem, Domino demonstrante et architectoribus, eo donante, providentibus, Teutonicorum

sumptibus et Frisonum et labore eorundem duos cogones conjunxerunt fideles trabibus fortissime, ac funibus cohærentes et socia compaginatione vacillandi periculum prohibentes quatuor malos et totidem antennas erexerunt; et in illis in summitate castellulum firmum, asseribus et opere reticulato contextum, contra machinarum insidias collocantes coriis operuerunt illud per circuitum architectores, et desuper tectum erat contra ignem Græcum. Sub castellulo autem fabricaverunt scalam fortissimis funibus suspensam et triginta cubitis ultra proram protensam, opere maximo brevi tempore consummato. Invitati sunt ad illud videndum principes militiae Christi, ut siquid deesset, quod sumptibus aut humano indigeret ingenio, suppleretur; et accepto responso, quod antea tale opus ligneum nunquam fuerat fabricatum, properandum esse censuerunt fideles, ut hoc ingenium adhiberetur ad turrim, quia crebris ictibus machinarum pons pro magna parte destructus fuerat, qui de civitate hostes fidei ducebat ad turrim. Sexta itaque feria ante festum sancti Bartholomæi apostoli nudis pedibus cum processione solemniter devotissime processerunt ad crucem sanctam fideles, clero cum psalmis et litanis præcedente, auxilium humiliter implorantes divinum, ut res omni careret invidia et jactantia vana de omni gente, quæ tunc in exercitu erat. Plures ad hujus negotii executionem invitaverunt majores, licet gens Frisonum et Teutonicorum ad naves implendas sufficeret et regendas. Die tandem beati Bartholomæi, quæ tunc feria sexta erat, cum Nilus vehementer excrevisset et aquarum impetus negotium plurimum impedisset, cum multa licet difficultate et periculo instrumentum trahebatur ad turrim; navis autem, hujus ma-

A.D. 1218.
Tower near
Damietta
taken.

A.D. 1218.
Tower near
Damietta
taken.

chinæ socia, velificando processit; patriarcha et clerus nudis pedibus ambulabant per littora, Domino supplicantes. Cum vero ad turrim perventum fuisset, duplex illa compositio ad latus occidentale converti non poterat, sed ascendendo directe ad plagam aquilonarem applicabatur; funibus tandem et anchoris fixa manebat, licet vis aquarum inundantium illam repellere moliretur. Quod cum cognovissent Saraceni, machinas sex erexerunt super tures civitatis ad instrumentum illud concutiendum, sed una cæteris perniciosior post paucos ictus confracta quievit; nec tamen cessaverunt, sed sine intermissione emittere cœperunt crebros lapides et damnosos. Nec in minori periculo prior navis, hujus machinæ socia, ad pedem turris substitit collocata; nam ignis Græcus, de turri eminus projectus, fulminis instar veniens pavorem non minimum fidelibus incussit, sed per liquorem acetosum ac sabulum et exstinctoria cætera laborantibus est subventum. Tunc, facto insultu acerrimo ab his qui instrumentum regebant supradictum, jacebat patriarcha ante lignum crucis prostratus in terram, stansque clerus nudis pedibus clamavit in cælum. Inimici crucis et turris defensores extensis lanceis anteriorem scalæ partem aspererunt oleo, ac deinde ignem Græcum adhibentes scalam accenderunt; sed fideles Christi, qui intus erant, ad ignis suffocationem accurrentes suo pondere caput scalæ depresserunt, ita ut pons tornatilis fronti turris appositus inclinaretur deorsum. Signifer ducis Austriæ de scala corruit, et pagani vexillum ducis cum irrisione tulerunt; se vicisse existimantes, vociferati sunt clamore nimio, aerem verberando. Christiani vero, hoc viso, ad supplicationem se prosternunt, comploisique manibus Dominum invocare non

cessant. Ad hanc autem populi Christiani devotionem et manuum in cælum elevationem levavit scalam divina pietas, ignemque accensum fidelium lachrymæ exstinxerunt; et sic fideles Crucifixi, viribus resumptis, cum defensoribus turris lanceis, gladiis, clavis, sagittis, aliisque bellicis instrumentis viriliter pugnaverunt. Juvenis quidam Leodiensis diœcesis, in militia expertus, turrim prius ascendit; Friso quidam juvenculus, turrim ascendens, flagellum tenebat ferreum quo granum excuti solet, sed ad pugnandum paratum, unde fortiter trans murum ad dextram percutiens hostes fidei et ad lævam, quendam Saracenum, croceum Soldani ferentem signum, stravit et vexillum tulit; ac deinde alii post alios ascendentes hostes resistentes senserunt durissimos et crudeles. Paganis tandem superatis, post fletum et gemitum, gaudium successit fidelibus et triumphus; nam multi Saracenorum, turris angustiam perferre non valentes, per fenestras præcipites evadere cupiebant, quorum multi submersi perierunt, flumen ebibere non valentes; ad centum quoque ex eis vivi capti sunt et ad redemptionem reservati. Tunc Saraceni, qui in interioribus sese receperant turribus, igne supposito, superficiem turris combusserunt, unde Christiani victores calorem sustinere non valentes regressi sunt super scalam; ac deinde pontem, qui in inferiori parte operis præparatus fuerat, demiserunt Christi milites usque ad pedem turris, aquis profundis et undique circumfluentibus angustum, sed malleis ferreis januam turris aggressi sunt fideles, defendentibus eam intrinsecus Saracenis. Stabat utrumque opus immobile turri adhærens, sed asseres scalæ pro parte discussi fuerunt. Ambitus tamen operis machinarum ictibus multis per-

A. D. 1218.
Tower near
Damiatta
taken.

A. D. 1218.
Siege of
Damietta.

foratus in locis, ¹ ab hora nona sextæ feriæ usque ad horam decimam sequentis sabbati immobile perseverat. Tandem Saracenis in defensione turris omnino deficientibus, colloquium de pace petebant, ac sese sub pactione vitæ duci Austriæ reddiderunt. Capta itaque turri, munierunt eam fideles victualibus et armatis, sperantes de cætero ut civitatem similiter subjugarent.

*De morte Saphadini, et destructione murorum
Hierusalem.*

Death of
Saphadin.

Post² captam itaque turrim in Nilo flumine sitam, ³ Saphadinus, dierum malorum inveteratus, fratrueiumque suorum exhæredator ac regni Asiæ usurpator nequissimus, dolore cordis, ut asseritur, tactus intrinsecus mortuus est et sepultus in inferno; cui successit filius ejus Coradinus, vir crudelis et sævus, qui, ob ultionem obsidionis Damietæ, Hierusalem famosissimam civitatem foris et intus destruens, muros ejus et turres omnes, præter templum Domini et turrim David, in acervos redegit. De sepulchro quoque Domini glorioso destruendo consilium habuerunt Saraceni, quod per literas comminati sunt, quas civibus Damietæ ad eorum solatium transmiserunt. Veruntamen propter tanti loci reverentiam nemo eorum manum apponere præsumpsit; nam in Alchorano, libro legis eorum, scriptum habetur, Jesum Christum Dominum nostrum de Maria virgine fuisse conceptum et natum, quem sine peccato vixisse inter homines, prophetamque et plusquam prophetam esse pro-

¹ *Ab hora nona.*] In Jac. de Vitriaco this is a new paragraph: 'Ab hora nona, feria sexta, usque ad horam decimam sequentis sabbati duravit hoc periculum;' p. 1134.

² *Post captam.*] Jac. de Vitriaco, p. 1135.

³ *Saphadinus,*] or Seïf-eddin, the sword of religion, the name by which Malek-Adel is known in the histories of the Crusades; Michaud, iii. p. 446.

fitentur ; cæcos enim illuminasse, leprosos mundasse, et mortuos suscitasse, astruunt ; verbum quoque ac spiritum Dei vivi ad cælos ascendisse non discredunt. Unde, quando tempore treugarum sapientes eorum Hierusalem ascendebant et postulabant sibi ¹codices evangeliorum exhiberi, deosculabantur eos ac mirabantur propter legis munditiam, quam Christus docuit, et præcipue propter evangelium Lucæ ‘ Missus est Gabriel,’ quod sæpius retractant et repetunt literati eorum. Lex autem illorum, quam, diabolo dicente, ministerio Sergii monachi apostatæ et hæretici, Mahometus Arabice scriptam Saracenis dedit ac docuit, a gladio cœpit, per gladium tenetur, et in gladio terminatur. Iste Mahometus illiteratus fuit, sicut ipse in Alchorano suo testatur ; qui, quæ prænominatus hæreticus dictavit, ipse prædicavit, et, quia potens erat et Arabum princeps, per comminationes suas legem statuit observari. Luxuriosus autem fuit et bellicosus, et ideo de immunditia ac vanitate legem dedit, quam carnaliter viventes in partem voluptatis observant ; et sicut legem Christi veritas et munditia muniunt, ita errorem ipsorum timor mundanus et humanus voluptasque carnalis extollunt.

A. D. 1218.
Siege of
Damietta.

*De adventu Pelagii legati apud Damietam et
aliorum peregrinorum.*

Subjugata igitur, ut dictum est, turri Damietæ, venerunt ad passagium sanctæ crucis, quod tunc instabat, de diversis mundi partibus peregrini multi ; inter quos venerunt Pelagius, Albanensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, cum magistro Roberto de ²Curcun et Romanis multis.

Arrival of
Pelagius.

¹Codices evangeliorum.] Jac. de Vitriaco, p. 1137. | ‘Corteon’ in Jac. de Vitriaco, p. 1134: his name appears to have

²Curcun.] ‘Turrum’ in MS.; | been ‘Courçon.’

A. D. 1218. Venerunt et episcopi multi cum comite Niver-
nensi, qui, imminente periculo, cum Christiano-
rum confusione recessit. Venit etiam tunc tem-
poris vir illustris comes Cestrensis Ranulphus
de regno Angliæ, cum comitibus ¹Saero Winto-
niensi et Willelmo Arundelensi, et baronibus
Roberto filio-Walteri, Johanne constabulario
Cestrensi, Willelmo de Harecurt cum sequela
multa, et Oliverio filio regis Angliæ. Venerunt
etiam comites de Marchia et Barri cum filio
suo, Willelmus de Carnoto, Iterius de Tocce,
et Hervæus de Ursone, cum aliis multis.

*De duabus invasionibus factis a Saracenis contra
Christianos apud Damietta.*

Siege of
Damietta.

Saraceni² postmodum in festo ³sancti Dionysii
cum galeis et viris armatis ex improvise veni-
entes, et principia castrorum ubi Romani ten-
toria fixerant invadentes, modica manu Christi-
anorum repulsi sunt, ad galeas suas celeriter
recurrentes; sed gladios insequentium ac flumi-
nis voraginem effugere nequiverunt, submersi
sunt enim in Nilum ad viros mille quingentos,
sicut fideles didicerunt postea a paganis. In
festo iterum beati Demetrii summo diluculo cas-
tra Templariorum invaserunt hostes, sed modi-
cum fidelibus damnum intulerunt; quia per ex-
peditos eorum equites fugati sunt ad pontem,
quem procul construxerant, ubi interempti sunt
a fidelibus ad numerum quingentorum.

¹ *Saero Wintoniensi.*] He died soon after his arrival, and was buried at Acre. On his deathbed he directed his friends to convey his heart to Geroldon abbey. *Annal. Waverl.* p. 185.

² *Saraceni.*] *Jac. de Vitriaco,* p. 1135; *Oliver. Scholast.* p. 1186,

whose account agrees almost verbatim with that of the former.

³ *Sancti Dionysii.*] *Wendover,* or his scribe for him, has here reversed the order of the respective days of these saints; placing the events which occurred on Demetrius' day, the 8th, on that of Dionysius, the 9th of October.

De inundatione Nili fluminis, unde Christiani nimis damnificati fuerunt.

His¹ ita gestis, in vigilia beati Andreæ apostoli, nocte media, intumuerunt fluctus maris, crescentes et excursum facientes terribilem usque ad castra fidelium, quos ab alia parte fluuius inundans occupavit incautos. Natabant tentoria, perierunt cibaria; pisces fluviales et marini, quasi nihil metuentes, fidelium se cubiculis ingerebant, quos manibus capientes illis tamen carere deliciis maluissent; et nisi salubri consilio antea provisum fuisset de fossato, quod tamen ad alios usus factum fuerat, mare conjunctum flumini homines cum jumentis, naves cum victualibus et armis, detraxisset ad hostes. Nec tamen hoc periculum evaserunt quatuor cogones, super quos fabricata fuerant propugnacula ad turrinam capiendam, quæ uno impetu cum quinta navi, quæ inter eas hærebat, ad oppositam ripam vi ventorum præcipitata ante oculos eorum igne Græco sunt combustæ. Pepercit siquidem Deus operibus Frisonum et Teutonicorum, quibus turris capta fuerat; sed naves oneratae, quæ in portu maris stabant, ruptis repente funibus, perierunt.

A.D. 1218.
Siege of
Damietta.

De quadam peste, quæ multos in exercitu Christianos afflixit.

Invasit² ea tempestate multos de exercitu pestis quædam, contra quam physici nullum ex arte sua poterant remedium invenire; dolor enim occupavit repente pedes et crura, in quibus apparuit caro corrupta et nigra, gingivas et den-

A plague in
the camp.

¹ *His ita gestis.*] Jac. de Vitriaco, p. 1135; Oliver. Scholast. p. 1186.

² *Invasit.*] Jac. de Vitriaco, p. 1135; Oliver. Scholast. p. 1186.

A.D. 1218. tes, nigredo obdurata potentiam abstulit masti-
candi, sicque longo doloris tractu afflicti multi
ad Dominum migraverunt; quidam vero usque
ad tempus vernale laborantes caloribus beneficio
mortis periculum evaserunt. Eodem anno, pro-
curante Walone apostolicæ sedis legato, Richar-
dus de Marisco clericus, de familia et ¹moribus
regis Johannis, factus est episcopus Dunelmen-
sis, qui nono kalendas Augusti munus consecra-
tionis suscepit.

Willelmus Mareschallus diem clausit extremum.

A.D. 1219.
Death of the
earl of
Pembroke.

Anno Dominicæ incarnationis MCCXIX. rex
Henricus quarto regni sui anno fuit ad natale
Domini apud Wintoniam, cui Petrus, ejusdem
civitatis episcopus, omnia necessaria ministravit.
Quo etiam tempore Willelmus Mareschallus, re-
gis rector et regni, ²diem clausit extremum; post
cujus mortem memoratus rex in custodia Petri,
Wintoniensis episcopi, remansit.

*De obsidione urbis Damietæ et Christianorum
afflictione.*

Siege of
Damietta.

Eodem ³ tempore Pelagius, apostolicæ sedis
legatus, ⁴ardens habensque desiderium civitatem
Damietam obsidendi, Christianos post turrim

¹ *Moribus.*] His character is given in the Waverley Annals, where he is spoken of as being 'astutissimus,' and as one 'nullius egestatis misertus vel qui miseriam condescendit,' p. 183. He died suddenly at Peterborough on the 1st of May 1226, leaving debts to the amount of 40,000 marks.

² *Diem clausit extremum.*] He was buried in the Temple church in London; his epitaph is thus given by Paris:

'Sum quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.'

³ *Eodem tempore.*] Jac. de Vitriaco, p. 1135; Oliver. Scholast. p. 1186.

⁴ *Ardens.*] There was a prophecy that a Spaniard should win Jerusalem, 'which,' says Fuller, 'accounts for the zeal of the legate in this crusade.' H. Warre, p. 156.

captam hortabatur ad Nili fluminis transitum. A. D. 1219.
Siege of
Damietta.
Illi autem, cum magno periculo per flumen sursum cum navibus ascendentes inter civitatem et turrim captam, machinis civitatis et igne Græco sunt non mediocriter impediti; unde accidit, ut una navis Templariorum, vi torrentis impulsam, prope ripam civitatis capta fuisset, quæ cum præcipitaretur ad hostes cum barbotis et uncis ferreis ipsam diutius impugnant, ignem Græcum super eam projicientes de turribus civitatis; et cum prævalere, propter defensorum audaciam, non valerent, certatim navem ascendentes increduli præcipites in eam ad Templarios descenderunt, ubi cum diutius pugnaretur, navis tandem perforata, sive ab hostibus, sive a fidelibus, ut potius creditur, profundum fluminis [petiit], submergens Ægyptios et Christianos, ita ut vix mali summitas appareret; et sicut Sampson plures stravit moriens quam vivens, sic et isti martyres Christi plures secum in aquæ voraginem traxerunt, quam gladiis perdere potuerunt. Deinde pontem reparantes pagani aperturam adeo reliquerunt angustam, ut naves fidelium sine periculo fluminis ascendere non valerent, sed Frisones et Teutonici, zelo justæ indignationis accincti, cum majori navi, cujus ministerio turris capta fuerat, pontem viriliter invaserunt; auxilium nullum habentes nisi de cælo, pauciores quam decem viri de gente prædicta contra omnem fortitudinem Babylonis pontem ascendentes, spectante Christianorum multitudine et hanc audaciam plurimum admirante, fregerunt eundem, et sic cum quatuor navibus, super quas erat pons fundatus, reversi sunt cum triumpho, liberam viam et apertam Christianis sursum velificare volentibus relinquentes. Et, his ita gestis, Saraceni periculum,

A. D. 1219.
Siege of
Damietta.

quod illis imminebat, attendentes ripam fluminis fidelibus oppositam fossatis et argillosa materia cum propugnaculis ligneis et rebus aliis munierunt, machinas cum petrariis locantes ibidem, per locum illum transeundi spem omnimodam fidelibus auferentes. A Casali etiam, quod per miliare fere distabat a civitate, ubi nova hæc munitio terminabatur, per transversum fluminis navium fecerant subversiones, cum palis gurgiti latenter infixis; sed ¹Christi milites, cogones cum castellulis ac propugnaculis, armatis muniti bellatoribus, cum galeis aliisque navibus subsequentibus, præscriptas submersiones, Christo duce, penitus evaserunt. Hostes vero fidei, omni metu dissimulato, tres ordines armatorum stationi navium Christianorum opposuerunt, unam peditum, super ripam fluminis, cum targiis eleganter ordinatam, secundam post tergum eorum, similem priori, tertiam equitum, longam et terribilem, ictibus lapidum et telorum plurimum vexantes fidelium stationem. Sed fidelis Deus, qui non patitur tentari suos super id quod possunt sustinere, respiciens ad castra servorum suorum, mœrorem fidelium et tristitiam in gaudium et exultationem convertit; nam in nocte solemnitatis beatæ Agathæ martyris, cum ordinatus esset exercitus Christi, qui sequenti die fluvium erat transiturus, pluviae et venti magnam difficultatem Christicolis intulerunt, sed nocte eadem, Deo procurante, ²tantus pavor Sol-

¹ *Christi milites.*] The words 'Christi milites' are here superfluous: in the narrative by Jac. de Vitriaco and Oliverus the passage is as follows; having stated that it was owing to the zeal of Pelagius that the attack was made, it goes on, 'unde cogones propugnaculis et castellulis viris

etiam armatis muniti, cum galeis et aliis navibus, Christo duce, prædictas immersiones evaserunt,' p. 1136.

² *Tantus pavor.*] The account of the conspiracy in the camp amongst the emirs is given by Michaud from the Arab historians; iii. p. 456, seq.

danum Babylonis et ejus exercitum invasit, ut relictis tentoriis, ignorantibus etiam paganis, quos ad resistendum fidelibus ordinaverat, in sola fuga spem haberent; unde quidam apostata, qui multo tempore Christianorum legem transgressus sub Soldano militaverat, stans in ripa fluminis Gallica lingua clamare cœpit, ‘ Quid moramini? quid trepidatis? Soldanus recessit;’ et, hoc dicto, se recipi in Christianorum naviculam postulavit, sicque fidelibus fidem faciens illos ad transitum fluminis animabat; et summo diluculo, cum inchoatum esset missæ officium ‘ Gaudeamus omnes in Domino,’ per oratoria Christianorum nuntiata sunt hæc regi et legato. Itaque, fugientibus Saracenis, Christiani absque sanguinis effusione et omni impedimento flumen transierunt; sed adeo limosa et aquis profundioribus difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, ut vix eam equi ascendere potuissent. Templarii autem, præduces in ascensu, prospero cursu ad civitatem festinaverunt, sternentes perfidos, qui audacter de portis egressi Christicolis venientibus occurrerunt; sed, illis in civitatem redire compulsis, exercitus Christi tentoria Soldani occupavit ac spolia fugientium paganorum. Targias multas et galeias, cum barbotis et navibus aliis, quæ infra Casale usque ad civitatem inveniebantur, Christicolæ rapuerunt; unde perfidorum multitudo, relictis uxori- bus ac parvulis propter fidelium inopinatum transitum, de Damietta fugerunt. Deinde per gyrum obsessa est Damietta, exercitu exercitui per pontis compositionem continuato, utramque ripam fluminis contingentem.

A. D. 1219.
Siege of
Damietta.

De primo impetu Saracenorum post obsidionem contra fideles.

A.D. 1219.
Siege of
Damietta.

Civitate itaque obsidione vallata, hostes fidei, resumptis viribus, cum ¹Soldano et Alapinis ac multitudine copiosa, locum occupant, ad quem fideles transitum fecerant insperatum, et nisi per consilium divinum et auxilium prima castra, quæ erant inter mare et fluvium, retenta fuissent, et maxime per probitatem Teutonicorum, negotium Christi magnum periculum incurrisset; nam pleni anfractibus Saraceni ad tantam prorupti sunt temeritatem, ut, diluculo die sabbati ante Dominicam, qua cantatur ‘Oculi mei semper ad Dominum,’ fidelibus ignorantibus, cum multitudine gravi bellatorum usque ad fossatum suum sese præcipitarent, sed peditum illorum et equitum fuerunt probitate repulsi; fecerant enim Christiani fossatum a tergo suo latum satis et altum ad cautelam, ut, si forte hostes fidei impetum facere vellent in eos, hujus fossati præsidio munirentur.

De secundo impetu facto contra Christianos.

In² die iterum Palmarum inimici crucis, collecto innumerabili exercitu ac nimis terribili, fossatum undique fidelium invaserunt, et præcipue pontem Templariorum et ducis Austriæ, quem ipsi cum Teutonicis viriliter defendere studuerunt; sed illi cum electis militibus suis ab equis descendentes cum Christianis atrociter pugnaverunt. Ceciderunt hinc inde mortui ac vulnerati multi; sed tandem adeo prævaluerunt increduli, quod pontem ascendentes partem ejus combusserunt. Tunc dux Austriæ præce-

¹ Soldano.] ‘Coradino, filio Saphadini;’ Jac. de Vitriaco, p. 1137. | ² In die.] Jac. de Vitriaco, p. 1137; Oliver. Scholast. p. 1188.

pit suis, ut sese retrahentes hostibus darent ingressum, sed illi ingredi non audebant; mulieres quoque bellatoribus Christianis aquam, vinum, panem, ac lapides intrepide ministrabant; sacerdotes vero orationi insistebant, Dominum benedicentes et sauciatorum vulnera alligantes. In ipso die sancto non est Christianis spatium datum alias gestandi palmas quam balistas, arcus, lanceas, gladios, clypeos et sagittas; adeo enim instabant inimici eorum atrociter studio liberandæ civitatis, quod ab ortu solis usque ad horam diei decimam fidelibus requiem non dederunt, sed tandem fatigati sese cum damno maximo ¹de loco certaminis retraxerunt. In festo iterum Dominicæ ascensionis more solito per terram et aquam irruerunt perfidi in Christianos, ac multoties illos attentantes, prævalere non potuerunt, sed prope castra eos provocantes mutuo ad invicem damna pertulerunt.

A.D. 1219.
Siege of
Damietta.

De tertio impetu crudeliter facto ab incredulis contra Christianos.

Collegerunt² denique hostes fidei pridie kalendarum Augusti omnem quam poterant habere copiam bellatorum, qui post diutinos assultus fossatum contra militiam Templi tandem transeuntes, ac violenter licias dirumpentes, pedites Christianorum in fugam verterunt, ita quidem ut universo exercitui periculum immineret. ³Milites, equites simul et pedites seculares ter co-

¹ *De loco certaminis retraxerunt.*] At this time, as Jac. de Vitriaco records, the duke of Austria, who had been now a year and a half with the crusaders, and a great multitude of foreigners, returned home, 'nobis in summo periculo relictis;' p. 1138.

² *Collegerunt.*] Jac. de Vitriac. p. 1138; Oliver. Scholast. p. 1189.

³ *Milites.*] 'Milites de Francia;' *ibid.*

A.D. 1219.
Siege of
Damietta.

nati sunt ipsos a fossato repellere, sed nihil profecerunt; clamor exortus est insultantium paganorum, aucta est timiditas Christianorum. Sed spiritus consilii et fortitudinis Templarios animavit, nam magister Templi cum mareschallo cæterisque fratribus, per exitum satis angustum impetu facto, viriliter incredulos convertit in fugam. Domus Teutonicorum et Frisones, comites et barones, atque ex diversis nationibus milites, videntes Templi militiam in periculo, per exitus sibi expositos illis in auxilium proruperunt; tunc pedites perfidorum, projectis clipeis, truncabantur ad centum, præter illos qui in fossato præcipites perierunt. Deinde, peditibus Christianis egressis, per modicum spatium sese subtraxerunt hostes; acies hinc inde substiterunt armatæ donec crepusculum vespertinum certamen diremit, Saraceni prius recesserunt. Occisorum corpora jacebant juxta fossatum multa, præter illos qui sauciati lethaliter ad castra sunt reducti. Pauci de fidelibus per virtutem Dei et Templariorum audaciam perempti fuerunt et captivi. Dum hæc agerentur ibidem, combusta sunt fere omnia instrumenta fidelium, quæ erecta erant contra civitatem, a defensoribus ejus, præter scalas, in magnum Christianorum detrimentum. Post has igitur factas a Soldano invasiones non est ausus congregi cum Christianis, sed non longe ab obsidione fixis tentoriis in insidiis manebat.

De prælio campestri inter Christianos et Saracenos.

Exercitus autem Christi, cum diutius usu petrariarum et trebuculorum aliarumque machinarum muros civitatis subvertere laborassent, nec quicquam profecissent, a prudentioribus populi perspicue deprehensum est et veraciter intellec-

tum, non nisi sola virtute divina Damietam fore capiendam, unde inter multos surrexit murmuratio in castris, communibus exigentibus peccatis et discordiæ fomentis; nam quorundam fuit præsumptio, ut cum Soldano, qui non longe a castris Christianorum fixis tentoriis manebat in insidiis, campestre prælium consererent, ut, eo subjugato, cum ipso subjugarent et Damietam. E contrario consilium regis Hierusalem erat et multorum cum eo, ut obsidio tam diu ageretur incepta, quousque vel virtute divina vel etiam fame inclusi deficerent; nam quicumque per posticum vel de muris civitatis præcipites evadebant, inflati et fame afflicti, concivium suorum evidenter angustiam indicabant. Sed illis tandem prævalentibus, qui decreverant immutabiliter cum Soldano certamen inire, in die decollationis sancti Johannis Baptistæ ad castra Babyloniorum ita, licet discordes, confluebant, ut vix invenirentur viri, qui in obsidione urbis remanerent. Tandem inter mare et flumen, ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad bibendum, proficiscentes invenerunt hostes fidei in tentoriis commorantes, sed ipsi, pappilionibus sublatis, fugam simulabant; et cum a fidelibus processum fuisset adeo, quod apparet adversarios nolle directa fronte configere, capitanei fidelis populi longum inierunt consilium, utrum procederent, an redirent. Discors inter eos fuit sententia, unde inter consilia sine consilio solutæ sunt acies, præter ordinationem illorum, quos disciplina ligavit et obedientia militaris; equites Cypri in dextro cornu constituti, Saracenis incursum a latere facientibus, timiditatem suam ostenderunt; Romani pedites primi fugerunt, et postea equites ex nationibus diversis, cum quibusdam Hospitala-

A.D. 1219.
Siege of
Damietta.

A. D. 1219.
Siege of
Damietta.

riis sancti Johannis; legatus et patriarcha, qui crucem portabat, multum, sed frustra, ut resisterent, supplicabant. Æstus solis vehemens erat, unde pedites armorum pondere premebantur, calor auxit laborem viæ, et qui secum detulerant vinum biberunt illud purum, propter aquæ defectum, in angustia sitis, qui post primos fugientes anhelato cursu terga dederunt extinctique sine vulneribus corruerunt. Rex vero Hierusalem, cum Templariis et domo Teutonicorum et hospitali sancti Johannis, de Houtlandia, de Wiche, de Salebregge, et Cestriæ comitibus, cumque Waltero Bertoldi, Reginaldo de Ponte, Francigenis, Pisanis, et militibus ex nationibus diversis, impetum sustinuerunt paganorum, et ¹pro muro fuerunt fugientibus, quoties illis suas facies ostendebant; rex vero Hierusalem igne Græco fere fuit combustus. Capti sunt autem in illo conflictu ex Christianis electus Belvacensis et frater ejus Andreas de ²Nantes, vicecomes Belli-montis, Walterus, regis Francorum camerarius, ac filius ejus Johannes de Arcis, Henricus de Ulmo. Templarii triginta tres capti sunt vel interfecti, cum mareschallo hospitalis sancti Johannis et fratribus quibusdam ejusdem domus; nec domus Teutonicorum absque damno evasit. Sunt præterea alii multi trucidati et in captivitatem abducti. Militia autem Templi, quæ in congressione solet esse prima, in regressu fuit ultima; unde, cum ad fossatum Christianorum novissima rediret, tamdiu fortis substitit quousque anteriores intra mœnia fuissent ingressi. Tunc increduli reversi sunt ad abducendos captivos suos et spolia col-

¹ *Pro muro fuerunt fugientibus, quoties illis suas facies ostendebant.*] ‘Quoties facies suas os-

tenderunt, toties Saraceni fugerunt;’ Jac. de Vitriaco, p. 1139. ² *Nantes.*] ‘Nantolio;’ *ibid.*

ligenda ; et, sicut a perfidis postmodum didi-
cerunt fideles, quingenta capita Christianorum A.D. 1219.
Siege of
Damieta.
Soldano præsentata fuerunt. Christianis vero
hoc certissime constat, quod in præcipua militia
sua damna sibi luctuosa sustinuerunt increduli,
unde Soldanus unum de captivis suis ad Chris-
tianos mittens de treuga vel pace tractare cœpit,
in quo tractatu reparaverunt fossatum suum ele-
ganter et alias machinas Christiani.

*Qualiter peregrini quidam a Damieta non licentiati
recesserunt.*

Nautæ quidam eo tempore Christianitatis
proditores, et cum eis Christiani multi, ante
tempus consueti passagii exercitum Christi in
summo periculo reliquerunt, qui recedentes
Christicolis mœstitiam, Babylonis audaciam,
contulerunt ; unde tractatum pacis intermitten-
tes increduli, in ¹vigilia sanctorum Cosmæ et
Damiani et proximo die sequenti, cum galeiis
et barbotis armatis per flumen et terram, cum
mangonellis, targiis, et fruticibus pro implendo
Christianorum fossato, ²petierunt eos impetu
consueto et barbarica feritate multosque fideles
hoc subito impetu peremerunt ; sed triumphator
in Israel, omnipotens Deus, castris suis pro-
vidit, misso per mare Savarico de Malo-leone
cum galeiis armatis et bellatoribus multis. Tunc
Christiani, hoc viso, in illo necessitatis articulo
clamaverunt in cælum, Deum laudantes et non
trepidantes, sed in prælio hostibus viriliter re-
sistentes incredulos recedere compulerunt Illius
virtute qui salvat sperantes in se.

¹ *Vigilia sanctorum Cosmæ et Damiani,*] 26th of September. | ² *Petierunt.*] 'Perierunt' in MS.

*De mortalitate qua affligebantur inclusi urbis
Damietae.*

A. D. 1219.
State of the
besieged.

Nunc autem de his quæ in civitate gesta sunt aliquid referamus. ¹Damieta igitur obsidione longa, ferro, fame, et pestilentia graviter, et ultra quam credi vel scribi possit, afflicta, in spe sola fidem habuit, quam civibus Soldanus promisit, ut pro eis, si necessitas instaret, cum Christianis componeret, ut mortem evadere possent; sed hoc tempore in urbe tanta fames invaluit, ut vitalis refectio deesset inclusis, durabilis enim non est annona Ægypti, propter molles glebas in quibus crescit, nisi superius circa partes Babyloniae servetur per annum. Postremo autem portas suas obstruxerunt increduli, ne aliquis exiret qui calamitatem eorum fidelibus nuntiaret, quia dies afflictionis miseros possederunt; illis etiam, qui foris in exercitu Soldani fideles obsederunt, copia pabuli decrescere cœpit, et ita quidem, quod coctanum unum duodecim bizantiis vendebatur. Inter cætera incommoda, quæ miseri sustinebant diebus ac noctibus, velut aurisia percussi oculis apertis nihil videbant. Nilus præterea, qui post festum sancti Johannis Baptistæ usque ad exaltationem sanctæ Crucis solet excrescere et Ægypti plañitiem irrigare, hoc anno more solito non ascendit, sed magnam terræ partem siccam relinquens in terra illa nec seminari poterat nec arari; unde Soldanus famem timens, amore retinendæ Damietae, cum Christianis pacifice componere cogitavit. Auxit autem propositum ejus ad compositionem miraculosa turris subjugatio, et Christianorum constantia præliandi, qui toties cum admodum paucis fidelibus omnem paganismi

¹ Damieta.] Jac. de Vitriaco, p. 1140; Oliver. Scholast. p. 1190.

fortitudinem audacter invadentes de prælio turpi-ter fugaverunt et multa ex eis millia peremerunt. A.D. 1219.

*Qualiter Soldanus regnum Hierusalem obtulit
Christianis, ut a Damietta ¹recederent.*

Soldanus igitur, convocatis magnatibus suis et consiliariis fidelissimis, dum esset in mentis angaria constitutus, coram eis est locutus hunc in modum; ‘Deus,’ inquit, ‘Christianorum magnus est, fidelis et potens in prælio, quod nos comprobavimus omnes, et maxime in hoc instanti articulo, in quo manifeste pugnat contra nos pro inimicis nostris, et procul dubio inanis erit actio nostra tota, quamdiu fideles ipsum habebunt placabilem adiutorem. Ecce, imminet captio Damietæ, quæ clavis est totius Ægypti; quæ si capta fuerit, in maximum nostrum et legis nostræ proveniet detrimentum, quia, cum multoties legatur a Christianis ob- sessa, nunquam tamen legitur subjugata. Unde nobis utile reor, ut reddamus Deo Christianorum ea quæ sua fuerunt omnia, ne simul cum suis auferat a nobis quæ nostra esse videntur; sicque cum justus sit et aliena non concupiscat, si hanc pacem recusarint et æquitatem Christiani, maxime sibi tam honorabilem, provocabunt Deum suum in odium sui per concupiscentiam iniquam, et sic superborum aspernator ab eis recedet, habebuntque impugnatorem, quem habuerunt propitium adiutorem.’ Et licet hoc consilium multis displiceret, missis tamen nuntiis Christianis ²obtulit veram crucem, quæ olim a Salaadino capta fuerat, cum captivis omnibus qui per regnum Babylonis et Damasci vivi poterant reperiri, cum sumptibus

Proposals of
peace by the
sultan of
Cairo.

¹ *Recederent.*] ‘Recederet’ in MS. | de Vitriaco, p. 1140; compare
| Michaud, Hist. des Crois. iii. p.
² *Obtulit veram crucem.*] Jac. | 469.

A.D. 1219. necessariis ad reparandos muros Hierusalem et civitatem in statum pristinum reducendam. Obtulit insuper totaliter regnum Hierosolymitanum, præter Craccum et Montem-regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit singulis annis, videlicet duodecim millia bizantios, quamdiu illa teneret; sunt autem duo castra hæc in Arabia, septem firmissimas munitiones habentia, per quæ negotiatores paganorum et peregrini Mecham tendentes vel ab illa revertentes transire solent, et qui hæc tenuerit Hierusalem cum vineis graviter et agris lædere valebit. Hanc compositionem esse acceptandam et utilem esse Christianitati rex Hierusalem, comes Cestrensis et omnes Francigenæ cum capitaneis Teutonicorum pertinaciter censuerunt; nec hoc mirandum est, cum multo minore pace, quæ prius oblata fuerat, contenti fuissent Christiani, nisi in sano consilio eis fuisset obviatum. Legatus¹ autem, concupiscentia retinendæ civitatis ductus, et per eum patriarcha cum clero universo, huic compositioni sese opponunt, asserentes constanter ante omnia Damietam fore capiendam; opinio diversa peperit discordiam, unde nuntii Soldani læti recesserunt. Cumque hæc Soldano nuntiata fuissent, misit clam multitudinem magnam peditum per palustria ad Damietam, quorum ducenti quadraginta, Christianis dormientibus, Dominica nocte post festum Omnium sanctorum licias eorum intraverunt, sed per clamorem vigilum exercitus capti sunt vel interfecti, quos ad centum vel plures numeraverunt ex captivis.

¹ *Legatus.*] ‘Herein, no doubt, he followed the instructions of his master, whose end in this warre was that this warre should have no end, but be alwayes in doing, though never done.’ Holy Warre, p. 155.

De captione miraculosa urbis Damietæ.

His ita gestis, cum populus Christianus civitatem Damietæ acerrime invasisset, perspexerunt murorum propugnacula omni carere defensore, unde cum festinatione scalis ad murum applicatis civitatem certatim intraverunt fideles; sicque, Salvatore mundi procurante, ¹nonis Novembris capta est Damietta sine defensione, absque tumultu et violenta deprædatione, ut soli Filio Dei victoria ascribatur; et, cum caperetur civitas in oculis regis Babylonis, non fuit ausus more solito Christianos aggredi, sed confusus aufugiens propria castra combussit. Christo itaque duce, milites Christi Damietam ingressi plateas invenerunt stratas cadaveribus mortuorum, ex quibus eis occurrit ²foetor intolerabilis et miserabilis humanitatis aspectus. Mortui ³nimios interfecerunt; vir et uxor, pater et filius, dominus et servus, mutuis foetoribus perierunt. Nec solum plateæ civitatis mortuis erant plenæ, quia in ædificiis et cubiculis jacebant defuncti; juvenes et parvuli petierunt panem, sed non erat qui frangeret eis; infantes ad ubera matrum pendentes inter amplexus morientium oscitabant; divites delicati inter acervos tritici fame perierunt. Octoginta millia a tempore obsidionis perierunt in urbe, exceptis illis quos sanos vel languidos invenerunt fideles, qui ad tria millia et amplius numerantur; ex his autem trecenti nobiliores ad redemptionem captivorum suorum vivi reser-

A.D. 1219.
Damietta
taken.

¹ *Nonis Novembris.*] So Jac. de Vitriaco and Oliver. Scholast. M. Michaud (p. 476, *note*) has said that Oliver places the capture of the city on the 9th of November; but in the *Gesta Dei* the reading is rightly ‘nonis Novembris,’ or the 5th.

² *Fœtor intolerabilis.*] ‘The sight was bad, and the scent was worse, for the dead killed the living; yea, God’s sword had left their sword no work;’ Holy Warre, p. 156.

³ *Nimios.*] ‘Vivos;’ Jac. de Vitriaco, p. 1142.

A. D. 1219. vantur a populo Christiano, præter baptizatos, qui crediderunt in Christum. ¹Hæc civitas primo a Græcis obsessa legitur, qui in ejus captione defecerunt ; secundo obsessa fuit a Latinis sub Amalrico, rege Hierosolymorum, sed minime profecerunt ; hac tertia vice tradidit eam servis suis Rex regum et Dominus dominantium, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in secula seculorum.

De spoliis Damietæ impretiabilibus.

Spoils taken
in the city.

Invenerunt autem in civitate fideles aurum et argentum multum nimis, pannos sericos, vestes pretiosas, cum ornatu seculari et varia suppellectili in abundantia magna valde. In commune juraverunt omnes, quod asportata de civitate spolia redderentur inter victores æqualiter dividenda ; hoc etiam sub anathemate præceptum fuit a legato, sed concupiscentia oculorum multos fures fecit. Perceperunt autem ad utilitatem reipublicæ magnam partem divitiarum Ægypti in auro et argento, perlis, pomis, ambre, filis aureis, philacteriis et pannis pretiosis, quæ distributa sunt per exercitum Domini cum annona in civitate reperta. Episcopus Achonensis parvulos omnes, qui in urbe reperti sunt vivi, baptizavit, solvens ex ea Deo primitias animarum. Legatus quoque de maxima mahomeria civitatis fecit ecclesiam in honorem beatæ virginis Mariæ et omnium apostolorum, ad gloriam et exaltationem fidei Trinitatis. Civitas autem Damietæ, præter naturalem loci situm, quo munitur, triplici muro cingitur, habens extrinsecus murum humilem ad custodiam fossati exterioris, secundum altiorum, ac tertium secundo eminentiorem. Mu-

¹ *Hæc civitas.*] Jac. de Vitriaco, p. 1141.

rus medius viginti octo turres habet principales, A.D. 1219.
 binas vel ternas testudines continentes, quæ omnes integræ remanserunt præter unam, quæ crebris ictibus trebuculi Templariorum aliquantulum concussa fuit; voluit enim Deus integram tradere eam servis suis, ut clavem et antemurale totius terræ Ægypti. Sita est autem civitas inter Ramesse et campum Taphneos in terra Gersen,¹ ut conjicere possunt Christiani, quæ pascualis est, quam filii Israel tempore famis petierunt a Pharaone, sicut legitur in veteri Testamento.

De captione castrî Taphneos.

Capta² igitur Damietta, missi sunt exploratores ad virorum mille, in festo sancti Clementis, in naviculis per parvum flumen, quod Taphnis appellatur, ut de castellulis et villis victualia quærerent et situs locorum diligentius explorarent. Cum autem appropinquassent ad castrum quoddam de nomine fluminis appellatum, Saraceni qui in ejus præsidio erant, visis Christianis, existimabant exercitum totum advenire, unde portis obseratis fugerunt; Christiani vero Christum ibi solum capitaneum inveniētes castrum alacriter intraverunt. Testati sunt fideles reversi, se nunquam in plano castellum fortius inspexisse; habet enim turres septem fortissimas, et desuper testudines per gyrum; duplici fossato cingitur et utroque murato, habens antemurale. Lacus se diffundunt in latum per circuitum, unde in hyeme aditus equitibus difficilis est, atque in æstate adeo impossibilis, ut nunquam per obsidionem a quolibet caperetur. Lacus ille valde piscosus est, nam de piscariis ejus quatuor millia marcarum

Capture of
Tannis.

¹ *Gersen.*] ‘Gressen’ in C.; | ² *Capta.*] Jac. de Vitriaco, p.
 ‘Gessen,’ Jac. de Vitriaco. | 1143.

A.D. 1219. Soldano annis singulis solvebantur. Avibus abundat et salinis. Casalia multa per gyrum serviebant ei, nam civitas ante castrum olim famosissima fuit ac major Damietta, sed postea ruinosa. Hæc est Taphnis, cujus campi in psalmo meminit propheta David, et Esaias, 'Stulti principes Taphneos,' et cætera. In hac autem urbe Jeremias dicitur lapidatus, ut habes in veteri Testamento. Distat autem Taphnis a Damietta itinere unius diei per mare versus terram promissionis, ut facile sit de Achon vel de Damietta per mare vel per terram præsidium ibidem ponere et victualia destinare. Damna plurima Christianis fecit in obsidione Damietæ, quando naves ad exercitum accedentes vel ab eo recedentes delatæ fuerunt illuc, nam littus maris ante Taphnis arenosum est et sine portu, sinum autem habet latum, in quo naves devolutæ recedere non valent absque vento multum opportuno. Eodem tempore vir nobilis Ranulphus comes Cestrensis, postquam fere per biennium in servitio Dei militaverat, cum legati licentia et benedictione, et totius exercitus favore, repatriavit.

*Ut Lodowicus ad Tholosam hostiliter accedens
confusus redierit.*

Louis
besieges
Thoulouse.

Circa hæc tempora Lodowicus, filius Philippi regis Francorum primogenitus, ad instantiam patris sui innumerabilem collegit exercitum, ut hæreticos¹ Albigenses impugnaret, veniensque cum² omni multitudine sua ad urbem Tholosa-

¹ *Hæreticos Albigenses.*] Amongst the hitherto inedited works upon the history of France, M. Fauriel has published a history of the crusades against the Albigenses, written in Provençal

verse by a contemporary poet, ending with the commencement of this expedition of Louis; ll. 9323, *seqq.*

² *Cum omni multitudine.*] The dukes of Bretagne, Noyon, Sen-

nam, cujus habitatores ex diu dicebantur hæretica pravitate foedati, ¹illam obsidione vallavit. Machinisque igitur per gyrum collocatis, insultus acerrimos crebrius iterabant; quod cum cives cognovissent, ad defensionem sese præparabant machinasque contra machinas erigebant, ubi cum Francorum exercitus diu et inaniter laborasset, facta est in populo fames valida, quam etiam subsecuta est dira mortalitas tam hominum quam equorum. Simon quoque comes Montis-fortis, qui princeps militiæ erat, ante portam civitatis, lapide de petraria emisso in capite percussus, toto contrito corpore, ²subito exspiravit; frater quoque ejusdem Simonis in obsidione cujusdam castris, quod non longe a Tholosa distat, ad cumulum doloris multorum, lapide similiter ictus diem clausit extremum. Igitur in exercitu Lodowici, ut prædictum est, ingruente fame cum hominum mortalitate et rerum omnium damnosa nimis diminutione, idem Lodowicus cum reliquiis populi sui confusus ad Gallias remeavit.

De secunda coronatione regis Henrici.

Anno Domini MCCXX. rex Henricus fuit ad natale Domini apud Merlebergiam, adhuc sub custodia Petri Wintoniensis episcopi constitutus; quo etiam anno coronatus est idem rex apud ³Cantuariam in die sancto Pentecostes a Stephano ejusdem civitatis archiepiscopo, præ-

A.D. 1220.
Henry
crowned.

lis and Tournay; Brito, p. 113.

¹ *Illam obsidione vallavit.*] 'Tepide oppugnaverunt eam;' *ibid.*

² *Subito exspiravit.*] He died the year before the arrival of Louis, on the 25th of June; *ibid.* p. 112: see also the metrical history before mentioned, ll. 8447, *seqq.* In the Close Rolls is a grant of lands, before held

by him, to Stephen de Segrave, which begins, 'Audivimus, quod comes Simon de Monte-forti in fata concessit;' it is dated the 28th July: p. 366.

³ *Cantuariam.*] Henry was crowned at Westminster according to all the chroniclers; which is proved by various writs in the Close Rolls.

A. D. 1220. sente clero et populo totius regni, decimo sexto kalendas Junii, anno regni sui quinto. Deinde in¹ festo sancti Barnabæ apostoli convenerunt ad colloquium apud Eboracum rex Anglorum Henricus et rex Scotorum Alexander, ubi inter eos² tractatum est de matrimonio contrahendo inter regem Scotiæ et sororem regis Angliæ, atque, ibi fœdere confirmato, rex Scotorum ad propria remeavit.

*De canonizatione sancti Hugonis, Lincolniensis
episcopi.*

Canoniza-
tion of Hugh
bishop of
Lincoln.

Eodem anno sanctus Hugo, Lincolniensis episcopus, a papa Honorio canonizatus est et in catalogo sanctorum admissus, facta prius miraculorum ejus inquisitione a Stephano, Cantuariensi archiepiscopo, et abbate de Fontibus Johanne, sicut in hoc sequenti domini papæ authentico continetur; ³ ‘ Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Divinæ dignatio pietatis sanctos et electos suos in cælestis regni felicitate locatos adhuc in terra miraculorum coruscatione clarificat, ut fidelium per hoc excitata devotio eorum suffragia digna veneratione deposcant. Cum igitur sanctæ recordationis Hugonem, Lincolniensem episcopum, quem, sicut nobis plenarie constat, divini muneris largitas, tam in vita quam etiam post vestem mortalitatis exutam, insignium miraculorum multitudine illustravit, sanctorum catalogo adscriptissimus, universitatem vestram monemus et

¹ *In festo sancti Barnabæ;*] the
11th of June. | ment made between the kings in
Rymer, i. p. 160, *seq.*

² *Tractatum est.*] See the agree- | ³ *Honorius.*] Rymer, tom. i. p.
165.

exhortamur in Domino, quatenus ejus apud A.D. 1220.
Deum patrocina devote imploretis; ad hæc
statuentes, ut die depositionis ipsius ejusdem
festivitas annis singulis devote de cætero cele-
bretur. Data Viterbii, decimo tertio kalendas
Martii, pontificatus nostri anno quarto.'

De captione castrorum de Sanneia et de Rokingeham.

Eodem anno rex Henricus, Willelmo comite Rockingham
castle taken.
de Albemarla invito, cepit subito castella de
Rokingeham et de ¹Sanneia ²in vigilia aposto-
lorum Petri et Pauli; veniente autem præfato
rege hostiliter ad castella prædicta, invenit illa
penitus omni victualium genere destituta, ita
quidem quod nec etiam tres panes invenirentur
in eis.

Translatio sancti Thomæ, archiepiscopi Cantuariensis.

Eodem³ tempore levatum est de lapide mar- Translation
of Thomas
Becket.
moreo corpus beati Thomæ archiepiscopi et mar-
tyris a Stephano, Cantuariensi archiepiscopo,
præsente rege et omnibus fere episcopis totius
regni, cum abbatibus, prioribus, comitibus, ba-
ronibus, clero et populo multo, in crastino octa-
varum apostolorum Petri et Pauli; cujus cor-
pus sanctissimum collocatum est honorifice in
pheretro ex auro et lapidibus pretiosis mirabi-
liter fabrefacto. Interfuerunt etiam huic trans-

¹ *Sanneia.*] In the writs oc-
curring in the Close Rolls con-
cerning the earl of Albemarle,
this castle is called 'de Salvata.'
Walter of Coventry has a more
particular account of the affair in
question; see Tyrrell, ii. p. 841.

² *In vigilia . . . Petri et Pauli;*
28th of June.

³ *Eodem tempore.*] In the Wa-

verley Annals it is said, that ne-
ver before in England had such a
crowd been gathered at one spot.
Notice, it appears, had been
given by the archbishop nearly
two years before of his intention,
and the tidings had been carri-
ed into different kingdoms and
countries; p. 185. See the pope's
bulls on this occasion, Rymer, i.
p. 153, seq.

A. D. 1220. lationi archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, et alii multi de regno Francorum aliarumque diversarum regionum, qui ob honorem et reverentiam beati martyris, ut tantæ adessent solemnitati, alacriter convenerunt; nam dignissimum omnibus videbatur, ut sanctum martyrem Christi generaliter honorarent et colerent, qui pro universali ecclesia sanguinem suum fundere et ad finem usque non timuit fideliter decertare.

De obsidione castri de Biham et perturbatione regni.

A. D. 1221.
Siege of
Biham
castle.

Anno Domini MCCXXI. rex Henricus ad natale Domini apud Oxoniam tenuit curiam suam, præsentibus comitibus et baronibus regni; ubi regiis obsequiis cum lætitia et pace transactis, singulis quod justum erat, secundum antiquam regni consuetudinem, distribuit affluenter. Willemus quoque de ¹Foret, volens pacem regni turbare, sequenti nocte non licentiatus recedens ad castellum de ²Biham cum festinatione perrexit, ubi post dies paucos, collectis viris armatis, ad villam de Tenham hostiliter accedens illam spoliavit et bladum canonicorum de Bridlintonia ad castellum de Biham asportari fecit; villam etiam de Depinge cum aliis ejusdem provinciæ villis spoliavit, homines cepit et post gravissimum membrorum cruciatum ad redemptionem coegit. Habuit autem, ut dicebatur, hujus factionis incentores Falcasium, Philip-pum Marc, Petrum de Malo-leone, Engelardum de Athie, et alios multos, qui clam miserunt ei viros armatos, ut pacem regni turbaret. Inter hæc quoque homines regionis illius ad ecclesias convolantes bona sua in cœmeteria detulerunt.

¹ *Foret.*] 'For' in C.; William de Fortibus, the earl of Albe- | marle above mentioned.
² *Biham*;] in Lincolnshire.

Convenerunt interim magnates Angliæ ad regem A. D. 1221. apud Westmonasterium, ut de negotiis regni tractarent; comes vero, qui cum cæteris vocatus fuerat, simulavit se illo ire, sed callidus viator propositum mutans ad castellum de Fotheringeia divertit. Erat tunc castellum in custodia Ranulfi comitis Cestrensis, a militibus fere ac servientibus destitutum; quod cum comes prædictus cognovisset, scalas ad murum adhibens armatis suis ingressum paravit, et sine mora, ¹subjugato castello, paucos quos invenerunt custodes vinculis constrinxerunt. Deinde, impositis in castello armatis, ad municipium de Biham celeriter convolavit; quo facto, cum armatis suis totam adjacentem provinciam spoliavit, castrumque suum de damnis aliorum munivit. Sed cum tandem ista præsumptio ad regem et ejus concilium pervenisset, exercitu magno celeriter convocato, feria quarta post purificationem beatæ Mariæ castellum de Biham cuneis militaribus circumcinxit, et, ne diutius protrahamus sermonem, locatis in gyrum castelli machinis, muros ejus et ædificia ²diruerunt in brevi, ita quod defuit locus inclusis ubi sub salvo capita reclinarent, qui aliud refugium non habentes exierunt omnes de ruina castelli et sexto idus Februarii sese regi præsentarunt; at rex jussit eos vinculis mancipari donec consilium haberet, quid de illis sibi foret agendum. Venit interea comes de Albe-
marlia sub conductu Walteri, Eboracensis archiepiscopi, ad regem, et, ³Walone legato impetrante, cum ipso pacificatus est, eo quod ei-

¹ *Subjugato castello.*] They found the castle empty, according to the Chron. Dunst. p. 103. | five days, and was then taken and burned to the ground; *ibid.*

³ *Walone.*] Paris has 'Paudulph,' which is probably the right reading.

² *Diruerunt.*] It held out for

A.D. 1221.

dem regi et patri suo in guerra sua servierat fideliter ac potenter; milites etiam omnes et servientes sine pœna et redemptione relaxati sunt a rege, qui pessimum aliis dedit exemplum, ut contra eum hac fiducia in casu consimili rebellarent.

De dissensione inter Richardum, Dunelmensem episcopum, et monachos exorta.

Dissension
between the
bishop and
the monks
of Durham.

Sub his denique diebus exorta est magna inter Richardum de Marisco, episcopum Dunelmensem, et ejusdem ecclesiæ monachos ¹dissensio pro quibusdam libertatibus antiquis et consuetudinibus, quas iidem monachi se gavisi sunt multis retro temporibus habuisse. Episcopus autem fraudulenter monachis significavit prædictis, ut venirent ad eum cum privilegiis suis et ecclesiæ suæ instrumentis, ut, siquid in eis esset corrigendum ad perfectam eorum libertatem, ipsius arbitrio suppleretur; prior vero et monachi, fraudem episcopi habentes suspectam, instrumenta sua ei nullatenus ostendere voluerunt. Episcopus itaque, cum munimentorum inspectionem habere non potuit, juravit quod omnia bona eorum in usus suos converteret, adjiciens quod, si aliquem ex monachis extra portas curiæ suæ inveniret, non aliam quam caput redemptionem acciperet; juravit etiam, audientibus multis, quod, eo vivente, pacem Dunelmensis ecclesia non haberet. Nec multo post, cum servientes episcopi monachum quendam ab ecclesia quadam violenter extraxissent, monacho conquerenti et super hoc coram episcopo querelam deponenti respondit episcopus, quod melius fecissent ministri si monachum oc-

¹ *Dissensio.*] 'Eo quod esset | cretus et prodigus dilapidator;'
substantiæ ecclesiasticæ indis- | Mat. West. p. 110.

cidissent ; sicque deinceps ita monachis præfatis idem episcopus injuriosus exstitit et infestus, ut, necessitate cogente, ad præsentiam domini papæ appellantes sese et sua omnia sub ejus protectione ponerent, ac deinde Romam clericos mittentes et monachos episcopum accusaverunt in multis, contra quam accusationem hoc sequens rescriptum impetraverunt a papa ;

‘ Honorius episcopus Saresbiriensi et Eliensi, et cætera, episcopis, salutem, et cætera. Ita nobis in odore bonæ opinionis fratrum et cooperatorum nostrorum convenit delectari, ut in pestilentibus vitia non palpemus, cum non deceat pro reverentia ordinis sustinere peccantes, quorum culpa tot eos mortibus dignos facit, quot ad subjectos perditionis exempla transmittunt, qui sola quæ pravitatis exempla conspiciunt imitantur. Hinc est quod, cum de venerabili fratre nostro Dunelmensi episcopo sæpius nobis insinuata fuissent quæ ab episcopali honestate nimium dissonabant, tandem inculcatis funibus clamoris excitati, ut non pateremur cum perditione multorum quiescere amplius in suis enormitatibus episcopum memoratum ; de quo insinuatio clamosa processit, quod, postquam fuit ad officium pontificale promotus, reus sanguinis, simoniæ, adulterii, sacrilegii, rapinæ, perjurii ac dilapidationis multiplicis est effectus, non formidans clericos, orphanos ac viros religiosos opprimere, testamenta decedentium impedire, regia jura contra scientiam dilecti filii nostri Pandulphi, Norwicensis electi, munire, ac excommunicatione ligatus ingerere se divinis. Item etiam appellationibus non defert ad Romanam ecclesiam interpositis, statuta generalis concilii non observat, nunquam proponit populo verbum Dei, lingua et exemplo vitæ pravum subditis præ-

A.D. 1221.
The pope orders an inquiry into the bishop's conduct.

A.D. 1221.

bet exemplum. Coram multis juravit, quod pacem, ipso vivente, Dunelmensis ecclesia non habebit. Conquerente sibi quodam monacho Dunelmensi, se a servientibus suis ab ecclesia quadam fuisse extractum et usque ad sanguinis effusionem pulsatum, respondit ei, quod melius factum fuisset si servientes episcopi monachum peremissent. Ipse insuper apostolicam regulam, continentem qualis debeat esse episcopus, penitus calcavit in cunctis. Nos ergo, ne alienæ culpæ simus auctores, si clausis oculis tot et tanta prædicti episcopi transeamus errata, cum adeo ad nos clamor super his ascenderit ut dissimulationi amplius non sit locus, dignum duximus ex officii nostri debito descendere, ut hæc an ita sint, vel aliter, videamus. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super his et cognita sollicite veritate, quæ inveneritis, vestris fideliter inclusa sigillis, ad nostram præsentiam remittatis, ut, auctore Deo, quod super hoc faciendum fuerit statuamus. Datum Viterbii, pontificatus nostri anno quarto.

*Ut episcopus Dunelmensis contra monachos Romam
petierit.*

Appeal made
to Rome.

Cum autem literæ domini papæ ad notitiam exsecutorum pervenissent, ex officio sibi injuncto vocaverunt episcopum Dunelmensem, cum abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, apud Dunelmum ad suum consistorium, et alios laicos et clericos illius provinciæ, quoscumque hujus rei esse conscios crediderunt. Illis autem omnibus die sibi et loco statuto coram exsecutoribus comparentibus, recitatæ fuerunt literæ domini papæ, audientibus cunctis, aperte et distincte ad intelligendum; quibus perlectis et in-

tellectis, surrexerunt clerici Dunelmensis episcopi, quasdam recusationes frivolas et fallaces allegantes contra exsecutores prædictos, atque, ne procederent in inquisitione prædicta, præsentiam domini papæ appellarunt; et sic facta appellatione episcopus cum clericis suis recessit, diem statuens adversariis, qua contra eum in domini papæ præsentia comparerent. Interposita itaque appellatione, sæpeditus episcopus Romanam¹ adivit curiam, præmissis clericis suis, qui sibi supervenienti domini papæ gratiam præpararent; unde contigit, ut, antequam monachi Dunelmenses Romam venissent, clerici memorati actionem eorundem monachorum non mediocriter infirmaverant, unde post multas hinc inde coram papa altercationes tam episcopus quam monachi, ²immoderatis profusis expensis, remissi sunt in Angliam ad exsecutores supra-dictos, ut coram eis quod justum fuerit sententialiter statuatur. Duravit autem hæc diu inter eos semel suborta contentio, donec mors episcopi litem, sicut ipse prædixerat, terminavit.

A.D. 1221.

De constructione novi castelli apud Montem-Gomericum.

Eodem anno, circa nativitatem beatæ Mariæ, Loelinus,³ rex Walliæ, cum exercitu copioso cas-

Insurrection
in Wales.

¹ *Romanam adivit curiam.*] In the Dunstable Chronicle it is said that the archbishop of Canterbury and the bishop of Durham went both to Rome; that, after they had gone, the bishops of Salisbury and Ely had their commission to inquire into the charges against the latter, and, having done so, they forwarded to Rome the result of their examinations; pp. 100, 109.

² *Immoderatis profusis expen-*

sis.] In this journey he expended, according to Matthew of Westminster, more than thirty thousand marks; p. 110.

³ *Loelinus.*] There are two letters from the king to Llewellyn, printed in Rymer, upon the Welch king's attacks upon the property of the earl of Pembroke, which give a concise history of the whole state of the case; they are dated the 5th of October 1220.

A.D. 1221.

tellum, quod ¹Buet appellatur, obsedit; Reginaldus quoque de Brausia, cujus illud municipium erat, regis constanter imploravit auxilium, ut per eum, cum ipse ad hoc non sufficeret, obsidio solveretur. Rex autem, qui suis magnatibus deesse non debuit, cum exercitu magno illuc tendens, fugientibus ex more Wallensibus, obsidionem amovit. Tunc rex versus Montem-Gomicum tendens cum exercitu suo, quæque sibi obvia de rebus Wallensium, in armentis pecorum, cum spoliis damnosis multis, secum ad sustentationem suorum conducere præcepit. Deinde cum ad Montem-Gomicum pervenisset et loca illa vagando perlustrasset, deprehenderunt prudentiores exercitus locum idoneum ad castellum exstruendum, cujus situs cunctis inexpugnabilis videbatur. Jussit itaque rex ad securitatem regionis illius, propter creberrimas Wallensium irruptiones, ibidem castellum firmari; et ita singuli, accepta licentia, ²ad propria remearunt, concessis magnatibus de quolibet scuto duas marcas argenti.

De statu terræ sanctæ post captionem Damietæ et Taphneos.

Letter from the master of the Temple on the affairs of Palestine.

[Per idem tempus mandavit magister militum Templi literam quæ sequitur de statu terræ sanctæ;] ‘Fratri in Christo reverendo N., Dei gratia Elimenensi episcopo, frater Petrus de Monte-acuto, magister militum Templi, salutem. Quomodo autem in negotio Domini nostri Jesu Christi post captionem Damietæ et castri Taph-

¹ *Buet.*] Buith, or Llanfair, in Brecon.

² *Ad propria remearunt.*] It appears from a charter printed in Rymer upon its extension,

that a truce was now concluded before the king and Pandulph, at Shrewsbury, between Llewellyn and the earl of Pembroke and Reginald de Breose; p. 166.

neos hactenus sit processum, paternitati vestræ A.D. 1221. literis præsentibus declaramus. Noveritis igitur quod in primo passagio post captionem prædictam apud Damietam tot peregrini applicuerunt, quod una cum residuo remanentis exercitus possint sufficere ad munitionem Damietæ et defensionem castrorum. Dominus quidem legatus una cum clero, promotionem exercitus Jesu Christi præoptans, populum pluries ac diligenter admonuit de faciendo equitatu super infideles, sed barones exercitus, tam transmarini quam cismarini, considerantes quod gentes exercitus ad munitionem dictarum civitatum et castrorum, et ad progressum ulterius faciendum ad Christianitatis utilitatem, non possent sufficere, in hoc consentire noluerunt; Soldanus enim Babylonæ cum infinita perfidorum multitudine non longe a Damietta castrametatus super utrumque fluminis brachium pontes construxit ad impediendum Christianorum progressum, qui cum tanta multitudine ibidem expectat armorum, quod maximum periculum de ulterius equitando fidelibus immineret. Veruntamen civitatem prædictam et castra fossatis et littus undique munivimus, exspectantes a Domino consolari per subsidium nobis advenientium in succursum; sed Saraceni, nostrum perpendentes defectum, quamplures armaverunt galeias et mense Septembrio eas constituerunt per mare, quæ Christianis in subsidium terræ sanctæ adventantibus damna immania intulerunt. Tantus enim in exercitu nostro erat defectus pecuniæ, quod galeias nostras per aliquod tempus magnum tenere non potuimus. Comperientes igitur per prædictas Saracenorum galeias exercitui Christiano maximum imminere dispendium, galeias nostras et galiones aliaque vasa incon-

A.D. 1221.

tinenti armavimus ad prædictis galeis resistendum. ¹Et sciatis, quod Coradinus, Soldanus Damasci, congregata Saracenorum multitudine infinita, comperiens civitates Achon et Tyri militia et populo sibi resistere valenti penitus destitutas, damna illis gravissima clam et palam frequenter infert; ante præterea castrum nostrum, quod Peregrinorum dicitur, sæpius veniens sua tentoria fixit, dispendia nobis multimoda inferendo; castrum quoque Cæsareæ Palestinæ obsidens subjugavit, quamvis plures peregrini tunc apud Achon morarentur. Cæterum noverritis, quod Seraph, filius Saphadini, frater Soldanorum Babylonis et Damasci, contra Saracenos orientales in manu forti dimicans in potentioribus sibi obsistentibus multum prævaluit, licet non de omnibus, quia, Domino procurante, de facili non omnes poterit superare; nam, si guerram illam posset ad effectum perducere, terra Antiochiæ vel Tripolis, Achonensis sive Ægyptiaca, ad quamcumque illarum declinaret, maximo periculo subjaceret, et, si aliquod castrorum nostrorum obsidione vallaret, nullatenus eum amovere possemus; veruntamen dicta dissensio gaudium nobis confert et solamen. Expectavimus præterea jam diu imperatorem et nobiles alios, per quos speramus relevari, in quorum adventu opus multorum manibus inchoatum ad finem speramus perducere optatum; si vero de spe succursus hujus in proxima æstate, quod absit, frustraremur, utraque terra, Syriæ videlicet et Ægypti, tam illa quæ nuper est acquisita, quam illa quæ diu possessa est, in casu sunt dubio constitutæ. Nos itaque et aliæ gentes cismarinæ tot et tantis sumptibus

¹ *Et sciatis.*] Compare Bernard. Thesaur., Muratori, Rer. Ital. tom. vii. col. 841.

in exsequendis Jesu Christi negotiis adeo præ-A.D. 1221.
gravamur, quod ad consuetas expensas non suffi-
cimus, nisi divina clementia et fidelium virorum
subsidio nobis in proximo succurratur. Data
Achon duodecimo kalendas ¹Octobris.’

*De peregrinatione Philippi de Albeneio ad terram
sanctam.*

Anno Domini MCCXXII. rex Anglorum Henri-A.D. 1222.
cus fuit ad natale apud Wintoniam, episcopo Philip
civitatis Petro omnia sibi necessaria ministrante. d’Albiney goes to the Holy Land;
Quo etiam tempore ²Philippus de Albeneio, miles
strenuus ac morum honestate commendabilis, re-
gisque Anglorum magister et eruditor fidelissi-
mus, iter Hierosolymitanum arripiens illuc cum
prosperitate ac sine rerum diminutione pervenit,
qui, protinus ut statum terræ didicisset, Ranul-
pho comiti Cestriæ literas in hæc verba direxit;

De amissione Damietæ.

‘ Reverendo domino et amico, R. comiti Ces-his letter to the earl of Chester.
triæ et Lincolnæ, suus ubique P. de Albeneio,
salutem et veræ dilectionis affectum. Vestræ
notifico excellentiæ, quod in die assumptionis
virginis Mariæ extra portum Marsiliæ velificavi-
mus et in die Lunæ ante nativitatem ejusdem
virginis ante Damietam venimus, ibique in-
venimus multas naves recedentes de villa; et
tantum locutus fui cum quadam barca et tan-
tum hominibus dedi, quod ad nos loqui venerunt
et nobis rumores multum tristes narraverunt.
Quod videlicet gens nostra de Damietta et mag-

¹ Octobris.] Paris inserts here the marriage of Alexander, king of Scotland, with Joan, Henry’s eldest sister, as also the marriage of Hugh de Burgh with Margaret, the sister of the king of Scotland: both weddings were celebrated at York.

² Philippus de Albeneio.] William d’Albiney had died there, according to Paris, in the previous year.

A. D. 1222.
Letter of
Philip
d'Albiny
to the earl of
Chester.

nates qui intus erant, rex scilicet Hierusalem et legatus, dux Balvariae, Templum et Hospitale, cum aliis multis, ita quod bene fuerunt mille milites cruce signati, et alii equites quinque milia, cum quadraginta millibus peditum, hii omnes fecerunt unam equitaturam erga terram Babylonis, contra voluntatem regis Hierusalem, ut dicitur, et iter arripuerunt ad festum sancti Petri ad vincula; et in illa equitatura per tres septimanas vel plus morati fuerunt, et fere in media via fuerunt Damietae et Babylonis. Tunc Soldanus Babyloniae et Coradinus frater ejus venerunt cum quanto exercitu habere potuerunt, et saepius gentes nostras appropinquando invaserunt et saepius de gentibus suis amiserunt; et, quando gentes nostrae ad Damietam redire voluerunt, flumen excrevit et per dies plurimos exivit, et gentes nostrae inter duo brachia fluminis erant; et fecerunt Saraceni de uno brachio ad aliud foveam quandam retro exercitum nostrum, flumenque tam magnum excrevit, quod gentes nostrae in aqua erant usque ad braccarios et cinctoria ad magnam miseriam et dolorem, itaque mortui et capti fuissent si Soldanus Babyloniae voluisset. Treugas sumpserunt gentes nostrae usque ad octo annos erga Soldanum tali pacto, quod gentes nostrae Damietam redderent et omnes esclavos quos tenebant in captivitate. Propter hanc pactionem tenendam rex Hierusalem, et legatus, et dux Balvariae, et alii divites in hostagio remanserunt; Soldanus vero pro jam dicta pactione ex parte sua viginti in hostagio tradidit. Quando vero hos rumores audivimus, magnum dolorem habuimus, sicut omnes Christiani habere debent; ideoque consilium habuimus, quia ad reddendam Damietam esse noluimus, ut versus Achon iter arripere-

mus, ubi in crastino beatæ virginis Mariæ nati-
 vitatis applicuimus; et in die proximo post red-
 dita fuit Damietta ad Soldanum, et ipse omnes
 esclavos suos, quos tenebat, deliberavit. Item
 vobis significo, quod dominus rex Hierusalem in
 partes vestras venturus est; ideo vobis precor,
 quod super promissa ei facta erga regem et alios
 magnates auxilium præbeatis, debitum enim
 ejus tam magnum est quod mirum est enarrare.
 Valete.’

A.D. 1222.

Item alia epistola de eodem.

‘Frater P. de Monte-acuto, militum Templi
 magister humilis, dilecto fratri in Christo, A.
 Martel, locum præceptoris tenenti in Anglia,
 salutem. Etsi quandoque prospera, quæ nobis in
 negotio Jesu Christi succedebant, vobis signifi-
 cavimus, nunc sinistra, peccatis nostris exigen-
 tibus, in terra Ægypti nobis inflictâ, præsentî
 vobis scripto secundum rei seriem declaramus.
 Sane cum post captam Damietam exercitus
 Christianus otio ibidem tempore longo vacaret,
 gens tam cismarina quam transmarina super
 hoc nobis convitia et redargutiones assiduas in-
 ferebat; veniens igitur dux Balvariæ, locum te-
 nens imperatoris, hominibus patefecit se ad hoc
 venisse, ut expugnaret inimicos fidei Christianæ.
 Habito igitur super hoc consilio domini legati,
 ducis Balvariæ, magistrorum Templi et Hospita-
 lis ac domus Teutonicorum, comitum, baronum et
 aliorum omnium, super progressu faciendo om-
 nes unanimiter consenserunt. Illustris autem rex
 Hierosolymitanus vocatus venit cum baronibus
 suis et galeis navibusque armatis apud Damie-
 tam, inveniens exercitum Christianorum in ten-
 toriis extra licias habitantem. Post festum vero
 apostolorum Petri et Pauli, dominus rex et le-

Letter from
 the master
 of the
 Temple on
 the affairs of
 the crusaders
 after the
 taking of
 Damietta.

A.D. 1222.
Letter from
the master
of the
Temple on
the progress
of the
crusaders
after the
taking of
Damietta.

gatus, totusque exercitus Christianus, tam per fluvium quam per terram ordinate procedentes invenerunt Soldanum, et cum eo inimicos crucis innumeros, sed tamen ante faciem ejus fugientes, sicque processum est sine damno donec perventum fuit ad tentoria Soldani, flumine tamen medio, quod nequivit exercitus pertransire; sed in ripa fluminis fixit tentoria, præparans pontes ad faciendum transitum ad Soldanum; itaque flumen Taphneos, a magno flumine Nili se derivans, a castris Soldani nos separavit. Cumque ibidem moram faceremus, recesserunt ab exercitu multi non licentiati, ita quod in decem millibus armatorum et amplius fuit exercitus diminutus. Soldanus interim per vallum antiquitus factum galcias et galiones, Nilo crescente, misit in flumen ad impediendum navigium nostrum, ne nobis victualibus destitutis a Damietta venirent alimenta, cum per terram, prohibentibus Saracenis, venire minime potuissent. Interclusa itaque via tam terræ quam fluminis ad necessaria nobis deferenda, habuit consilium exercitus de reditu faciendo; sed fratres Soldani, Seraph scilicet et Coradinus, Soldani Alapiæ et Damasci, atque Soldani alii, Camelæ videlicet et Haman et Coilanbar, cum regibus paganorum quamplurimis et multitudine paganorum, qui in ejus subsidium advenerant, nobis reditum denegabant. Exercitus tamen noster, de nocte recedens per flumen et per terram, amisit victualia quæ ferebat in flumine et homines multos; quia, excrescente Nilo, Soldanus fecit aquam derivari per meatus occultos et canales rivulosque antiquitus constitutos ad impediendum regressum populi Christiani. Cum igitur in paludibus summarios, supellectilia, clitellas, currusque ac omnia fere necessaria exercitus Christi amisisset, nec ultra procedere vel reverti aut alicubi con-

fugere potuisset victualibus destitutus, nec pug- A.D. 1222.
nam facere cum Soldano propter lacum medium,
inter aquas inclusus sicut piscis reti includitur;
fecit invitus et in angaria positus pactum de
reddenda Damietta Soldano, et esclavis ejus qui
inveniri poterant in Tyro et Achon, pro vera
cruce et pro esclavis Christianis regnorum Baby-
loniæ et Damasci. Nos igitur cum aliis nuntiis
de communi legatione totius exercitus Damie-
tam adivimus, populo civitatis pactiones nobis
injunctas omnibus ostendentes, quæ episcopo
Achonensi, cancellario, et Henrico comiti de
Malta, quos ibidem invenimus, plurimum dis-
plicebant; voluerunt enim civitatem defendere,
quod nos multum approbaremus si utiliter fieri
potuisset, mallemus quidem in carcere perpetuo
destrudi, quam civitas a nobis ad dedecus Chris-
tianitatis incredulis redderetur; sed, habita per
civitatem indagazione sagaci rerum et persona-
rum, nec pecuniam invenerunt nec gentem, qui-
bus civitatem defendere potuissent. Nos ita-
que huic pactioni adquiescentes sacramento et
obsidibus eam firmavimus, treugamque firmam
octo annorum statuimus. Soldanus igitur usque
ad compositionem factam fideliter tenuit quod
spondit, exercitui nostro famelico per dies fere
quindecim panem conferens et ¹polentam. Vos
ergo nostris miseriis compatientes nobis in quan-
tum poteritis subveniatis. Valet.

De luctamine et dissidio Londoniensis urbis.

Eodem anno in ²die sancti Jacobi apostoli con- Riots in
London.
venerunt ad luctamen apud hospitale Matildis
reginæ extra urbem Londoniarum cives urbis

¹ Polentam.] 'Præbendam' in | of July. Compare the account
MS. | as given in the Chron. Dunst.

² Die sancti Jacobi ;] the 25th | p. 129, seq.

A. D. 1222.
Riots in
London.

prædictæ contra comprovinciales extra urbem positos, scirent ut quis eorum videretur viribus esse major. Illis autem diu decertantibus et hinc inde tumultuantibus, cives, aliis confusis, victoriam reportarunt. Inter alios quoque seneschallus abbatis Westmonasterii confusus recedens, quomodo se suosque complices vindicaret, anxius cogitabat. Tandem hunc vindictæ modum excogitans statuit arietem in ¹die sancti Petri ad vincula, denuntians per provinciam, ut omnes ad luctamen venirent apud Westmonasterium, et qui melior in luctamine inveniretur arietem pro mercede acciperet. Prædictus interea seneschallus congregavit viros robustos et in luctamine expeditos, ut sic saltem victoria potiretur; cives vero ex victoria iterata gaudere cupientes in manu valida convenerunt ad ludum, atque, hinc inde certamine inchoato, diu et fortiter se mutuo prosternebant. Seneschallus quoque sæpedictus cum suburbanis et comprovincialibus, qui potius vindictam quam ludum sitiebant, sine causa ad arma prosiliunt, atque cives, qui inermes advennerant, graviter et non sine sanguinis effusione pulsaverunt. At cives turpiter vulnerati fugam arripientes cum maxima confusione ingressi sunt civitatem; quibus ingressis, surrexit tumultus in populo, signoque communi pulsato, cives pariter convenerunt, et, re gesta cunctis per ordinem declarata, diversi diversam vindictæ sententiam protulerunt. Serlo tandem major civitatis, vir prudens et pacificus, consilium dedit, ut abbas Westmonasterii super illa conveniretur injuria, quam si vellet pro se suisque corrigere competentem, hoc sufficeret universis. Ad hæc ²Con-

¹ *Die sancti Petri ad vincula;*] August the 1st.

² *Constantinus,*] surnamed Fitz- Arnulph. Paris relates that the execution of this Constantine was one of the pleas urged by Louis

stantinus, vir quidam magnus in civitate, cum A.D. 1222. tumultu populi sententiam protulit, ut omnia ædificia abbatis Westmonasterii et domus seneschalli prædicti diruerentur et solo tenus complanarentur, et his dictis exivit edictum, ut quanto citius Constantini sententia compleretur. Quid plura? Irrationabile vulgus cum aliis de civitate sine ordine procedentes civile bellum Constantino prævio commiserunt, atque, multis subversis ædibus, damnum non modicum abbati intulerunt. Sed res gesta, quæ diu latere non potuit, cum ad aures Huberti de Burgo, Angliæ justiciarii, pervenisset, collectis copiis, ad turrem Londoniarum perrexit, ac nuntios mittens in civitatem præcepit, ut majores natu ad eum cum festinatione venirent; qui cum essent in ejus præsentia constituti, sciscitabatur ab eis, qui factæ seditionis principales erant auctores ac subversores regis civitatis, et qui pacem regis infringere præsumperant. Tunc Constantinus, qui constans fuit in seditione, constantior exstitit in responsione, asserens se illud factum warrantizaturum, atque audientibus cunctis conqueritur se minus fecisse quam de jure fieri debuisset. At justiciarius, audita ejus confessione, retinuit eum absque omni tumultu, et duos alios cum eo; et, facto mane, misit Falcasium cum armatis multis per Thamensem fluvium, qui Constantinum prædictum ad suspendium perduxerunt. Cum autem laqueum collo suo appositum et se omni auxilio destitutum conspexisset, obtulit pro vita habenda quindecim millia marcas argenti, sed nihil omnino profecit. Suspensus autem est ille et Constantinus nepos ejus, cum quodam Gaufrido, qui edictum Constantini in civitate

for not fulfilling the conditions | and Henry, on coming to the
of the treaty between himself | throne.

A.D. 1222. proclamaverat; et sic, civibus ignorantibus et sine tumultu, lata in eum sententia executioni exstitit demandata. Et, his ita gestis, ingressus est in civitatem justiciarius cum Falcasio et aliis armatorum copiis, et quoscumque prædictæ seditionis deprehendit culpabiles capi fecit et in carcerem retrudi, quorum truncatis pedibus sive manibus, illos abire permisit; unde multi præ timore ab urbe fugientes nunquam postea sunt reversi. Rex vero, ad majorem vindictam omnes urbis magistratus deponens, novos constituit in civitate præfectos.

De tonitruis et aliis tempestatibus.

Thunder
storms.

Eodem anno, sexto idus Februarii, audita sunt tonitrua¹ terribilia, ex quorum collisione fulmen exsiliens ecclesiam de Graham in comitatu Lincolnia sitam terribiliter accendit, ubi tantum talemque foetorem emisit, quod multi, qui in ecclesia erant, fugientes foetorem sufferre non valebant; tandem sacrae candelæ illuminatione et aquæ benedictæ aspersione vix ignis exstinctus est; vestigia hujus rei adhuc in illo monasterio manent. Item eodem anno, in² die exaltationis sanctæ Crucis, per totam Angliam mugierunt horrenda tonitrua, et secuta est inundatio pluviarum cum turbine et impetu ventorum, quæ tempestas cum aeris intemperie usque ad purificationem beatæ Mariæ perseverans multis, et maxime colonis, molesta fuit; in æstate vero sequenti frumentum duodecim solidis vendebatur. Eodem etiam anno,³ in festo sancti Andreae apostoli,⁴ au-

¹ *Tonitrua terribilia.*] In the Annal. Dunst. the damage sustained from these storms is more particularly noticed.

² *Die exaltationis sanctæ Crucis;*] September the 14th.

³ *In festo sancti Andreae;*] 30th of November.

⁴ *Audita sunt tonitrua.*] Annal. Waverl. p. 187.

dita sunt tonitrua per totam Angliam generalia, A.D. 1222. quæ ecclesias et ecclesiarum turres, domos et ædificia, castrorum muros et propugnacula, subverterunt. In villa quoque quæ Pilardestuna dicitur, in pago Warewicensi sita, irruit tempestas illa in ædificiis cujusdam militis, opprimens uxorem ejus cum octo hominibus utriusque sexus, in admiratione multorum, qui casum inspexerunt; deinde tempestas illa debacchando invalescens turbariam quandam in eadem villa, aquis profundis et palude circumdatam, quasi in ictu oculi adeo reddidit siccam, quod, nec herbam nec lutum in ea relinquens, sicci lapides tantummodo remanserunt. Item in ¹vigilia sanctæ Lucie virginis ventus vehemens et repentinus superveniens crudelius præfata tempestate desævit, nam generaliter per totam Angliam, quasi flatu diabolico agitata, ædificia diruit, ecclesias et earum turres prostravit, arbores silvarum cum pomeriis radicitus evulsit, ita quidem quod vix aliquis immunis evasit a cujus se injuria ²refrænaret.

Ut Stephanus, archiepiscopus Cantuariensis, libertates a rege exegerit.

Anno Domini MCCXXIII. rex Henricus ad Natale tenuit curiam suam apud Oxoniam. Et postmodum, in octavis Epiphaniæ, apud Londonias veniens cum baronibus ad colloquium requisitus est ab archiepiscopo Cantuariensi et magnatibus aliis, ut libertates et liberas consuetudines, pro quibus guerra mota fuit contra

A.D. 1223.
Confirmation
of the Great
Charter de-
manded.

¹ *Vigilia sanctæ Lucie* ;] 12th of December.

² *Refrænaret.*] Paris inserts here a notice of the council held at Oxford by the archbishop of

Canterbury, the particulars of which are in Wilkins' Concil. tom. ii. p. 585. This year came also a bull from the pope to the archbishop of York, urging him to all diligence in establishing quiet.

A. D. 1223. patrem suum, confirmaret; et, sicut archiepiscopus ostendit evidenter, idem rex diffugere non potuit quin hoc faceret, cum in recessu Lodowici ab Anglia juravit, et tota nobilitas regni cum eo, quod libertates præscriptas omnes observarent et omnibus traderent observandas. Quod audiens Willelmus Briwere, qui unus erat ex consiliariis regis, pro rege respondens dixit, 'Libertates quas petitis, quia violenter extortæ fuerunt, non debent de jure observari.' Quod verbum archiepiscopus moleste ferens increpavit eum dicens, 'Willelme,' inquit, 'si regem diligeres, pacem regni non impedires.' Videns autem rex archiepiscopum in iram commotum dixit, 'Omnes libertates illas juravimus, et omnes astricti sumus, ut quod juravimus observemus;' et rex protinus, habito super hoc consilio, misit¹ literas suas ad singulos vicecomites regni, ut per milites duodecim vel legales homines uniuscujusque comitatus per sacramentum facerent inquiri, quæ fuerunt libertates in Anglia tempore regis Henrici avi sui, et factam inquisitionem apud Londonias mitterent ad regem in quindecim diebus post Pascha.

*De altercatione inter Walenses et Willelmum
Marescallum.*

Disturbances
in Wales.

Eodem² anno, dum Willelmus Marescallus, comes Penbroc, fuit in Hibernia, Loelinus, rex

¹ *Misit literas suas,*] dated the 30th of January; Rymer, vol. i. p. 168.

² *Eodem anno.*] The extension of time given to this treaty was to expire at Easter, 1223. It appears that Llewellyn took advantage immediately of its expiration to recommence hostilities. Hemingford gives an ac-

count of these disturbances, and adds, that, the king sending forces to aid the earl, Llewellyn was glad to conclude a peace. There is a safe-conduct granted to Llewellyn to come to the king at Worcester, on the Monday after St. John Baptist's day (24 June), printed in Rymer, i. p. 168.

Walensium, in manu forti cepit duo castella A.D. 1223.
 prædicti Willelmi, et omnes quos in eis invenit
 capitibus privari fecit, et impositis in eisdem cas-
 tellis Walensibus suis recessit. Sed, cum post
 dies paucos ad notitiam prædicti Marescalli res
 gesta pervolasset, rediit cum festinatione in An-
 gliam; ¹exercitu magno congregato, castella præ-
 dicta obsedit et cepit; et quia Loelinus prius
 omnes homines Marescalli, quos in castellis ce-
 perat, capitibus amputatis interfecerat, Willel-
 mus Marescallus Walensibus talionem reddens
 eorum capita detruncari fecit; et deinde, ad
 majorem vindictam, terram Loelini hostiliter in-
 gressus igne et ferro quæque sibi obvia devas-
 tavit. Quod audiens Loelinus venit contra
 Marescallum in fortitudine gravi; sed Mares-
 callus, Marte sibi propitio, hostes acriter inva-
 dens, multis ex Walensibus interfectis, omnes in
 fugam coegit, quos Marescallus potenter in-
 secutus immisericorditer trucidavit; æstimati
 sunt autem interfecti et vinculis mancipati ad
 novem millia hominum, paucissimis ex omnibus
 per fugam elapsis. Eodem anno, circa festum
 Dominicæ ascensionis, ²Walterus Malus-clericus
 consecratus est Carleolensis episcopus per ma-
 num Walteri, Eboracensis archiepiscopi. Circa
 idem tempus prorupit oleum lucidissimum in
 magna ecclesia apud Eboracum de tumba beati
 Willelmi, ejusdem ecclesiæ quondam archiepi-
 scopi. Eodem anno Romæ pluit terra sanguinea
 per tres dies, admirantibus multis.

¹ *Exercitu.*] The summonses issued by the king to the barons and the army to meet him at Gloucester, after the siege of Builth castle, are in Rymer, i. p. 170.

² *Walterus Malus-clericus.*] It appears from a letter of his printed in Rymer, i. p. 120, that he was John's messenger to the court of Rome, to argue his cause there against the barons in 1214.

De morte Philippi, regis Francorum.

A.D. 1223.
Death of
Philip of
France.

Eodem tempore, circa festum sancti Petri ad vincula, Philippus, rex Francorum, ¹diem clausit extremum, cujus mortem cometa ardens et crinita, quæ paulo ante apparuerat, indicavit; cujus obitu divulgato, Henricus, rex Anglorum, misit archiepiscopum Cantuariensem cum tribus episcopis ad Lodovicum filium ejus, jam in regem coronatum, constanter rogans, ut redderet sibi Normanniam cum aliis terris transmarinis, sicut juraverat² in recessu suo de regno Angliæ, quando pax facta fuerat inter ipsum et regem Angliæ, [consentientibus] magnatibus universis. Ad hæc Lodovicus respondens dixit, se Normanniam et terras alias juste possidere, sicut ostendere paratus erit in curia sua, si rex Angliæ ad eam voluerit venire et ibidem juri parere. Respondit præterea, quod juramentum in Anglia factum ex parte regis Anglorum fuerat violatum, dum imprisii sui, qui apud Lincolniam capti fuerant, ad redemptionem gravissimam sunt compulsi; de libertatibus autem regni Angliæ, pro quibus guerra mota fuerat, quæ in recessu suo concessæ erant et ab omnibus juratæ, ita actum est, quod non solum illæ leges pessimæ ad statum pristinum sunt reductæ, sed et illis nequiores per totum regnum Angliæ sunt generaliter constitutæ. Quod audientes archiepiscopus et episcopi, cum aliud responsum habere nequiverant, ad propria sunt reversi, regi Angliæ ea quæ audierant referentes.

¹ *Diem clausit extremum.*] See his character by Brito, and epiphany; Rec. des Hist. xvii. p. 115.

² *Juraverat.*] These conditions do not appear in the treaty, as in

Rym. p. 148; but, as Rapin observes, 'it is very likely they were stipulated in the secret articles, since the French historians do not scruple to own them.'

De quodam Albigensium antipapa.

Circa dies istos hæretici Albigenses constituerunt sibi antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiae et Dalmatiæ, nomine Bartholomæum, cujus error in partibus illis adeo invaluit, ut etiam episcopos et alios multos regionum illarum ad suam allexerit pravitatem; contra quem ¹C., Portuensis episcopus et in partibus illis apostolicæ sedis legatus, Rothomagensi archiepiscopo scripsit in hæc verba; ‘Venerabilibus patribus, Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo et ejus suffraganeis episcopis, salutem in Domino Jesu Christo. Dum pro sponsa veri Crucifixi vestrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus et plorare. Ecce, quod vidimus, loquimur; et, quod scimus, testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur super omne quod colitur aut quod dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcham, quem hæretici Albigenses papam suam appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiae et Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat; est enim de Carcasona oriundus, vices illius antipapæ gerens, Bartholomæus hæreticorum episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam; sedem et locum concessit in villa, quæ Porlos appellatur, et se ipsum in partes Tholosanas transtulit. Iste Bartholomæus in literarum suarum undique discurrentium tenore se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum, ‘Bartholomæus, servus servorum sanctæ fidei, tali salutem.’ Ipse etiam inter alias enormitates creat episcopos et ecclesias perfide ordi-

A.D. 1223.
The Albigenses elect an antipope.

¹ C.] ‘Conradus.’ See the letter at length in Martene, *Thes. Anecdot.* tom. i. col. 901.

A.D. 1223.

nare contendit. Rogamus igitur attentius et per aspersionem sanguinis Jesu Christi, et propensius obsecramus, auctoritate domini³ papæ, qua fungimur in hac parte, districte præcipientes, quatenus veniatis Senonis in octavis apostolorum Petri et Pauli proxime futuris, ubi et alii prælati Franciæ, favente Domino, congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto, et cum aliis, qui ibidem aderunt, providere super negotio Albigensi; alioquin inobedientiam vestram domino papæ curabimus significare. Data Planium,¹ sexto nonas Julii.' Sed hunc tandem tumultum mors prædicti antipapæ celeriter terminavit.

De quibusdam baronibus schisma excitare volentibus.

The barons
murmur
against
Hubert de
Burgh.

Eodem anno surrexit murmuratio non modica a magnatibus Angliæ contra Hubertum de Burgo justiciarium, ²qui pacem regni conati sunt perturbare; dicebant enim ad invicem, quod animum regis exasperabat contra illos, et quod similiter non æquis legibus regnum regebat. Accessit præterea ad majoris odii incentivum adventus nuntiorum regis, quos Romam miserat, qui bullam domini papæ archiepiscopis Angliæ et eorum suffraganeis deferebant, quæ talem continebat sententiam, videlicet, quod dominus papa regem Angliæ plenæ ætatis adjudicaverat, ut de cætero negotia regni idem rex principaliter cum suorum domesticorum consilio ordinaret. Significavit etiam exsecutoribus prælibatis dictus

¹ *Planium.*] 'Provin;' Thes. Anecd. col. 903.

² *Qui pacem regni conati sunt perturbare.*] In Rymer are printed two letters of the king to the pope and Gualo the legate,

on the state of the country, in which he asks them to write to the barons, urging them to peace and obedience. They are dated 19th November, in the presence of H. de Burgh, and the bishops of Bath and Salisbury.

papa in literis supradictis, quatenus auctoritate A.D. 1223. apostolica denuntiarent comitibus, baronibus, militibus et aliis universis, qui custodias habebant castrorum, honorum et villarum, quæ ad regis dominium spectabant, ut continuo visis literis regi illas redderent, contradictores autem per censuram ecclesiasticam ad satisfactionem compellerent; unde pars maxima comitum et baronum, quorum corda concupiscentia possidebat, hujusmodi præcepta indigne ferens bellumque suscitare disponens convenit in unum, et, conspiratione absque follibus conflata, supradictas occasiones prætendebat, ut pacem regni perturbaret; custodias autem jam dictas, per admonitionem archiepiscoporum et episcoporum, regi reddere supersedit, volens potius arma movere quam regi satisfacere de præmissis. Sed hæc infra.

De cruce Dominica apud Bromholm delata.

Eodem anno apud ¹Bromholm crebuerunt divina Miracles at Bromholm. miracula, ad gloriam et honorem salutiferæ crucis, in qua Salvator mundi pati dignatus est pro redemptione generis humani; et, quoniam tanto thesauro Britannia in oceano constituta divina largitate meruit beatificari, dignum est, imo dignissimum, memoriis posterorum imprimere, quo ordine a tam remotis partibus in Britanniam sit delata. Verum comes Flandrensis Baldewinus, ex comite Constantinopolitanus imperator effectus, ubi per multorum curricula annorum strenue vixit, contigit illum a perfidis regibus quodam tempore graviter infestari, contra quos cum impetu et absque deliberatione progrediens lignum Dominicum cum aliis reliquiis, quæ sem-

¹*Bromholm.*] Chron. de Dunst., where they are recorded as happening in the year 1225; p. 158.

A. D. 1223.
Miracles at
Bromholm.

per ante illum a patriarcha et episcopis deferri consueverant, quotiescunque adversum inimicos crucis praelium commissurus perrexit, hac vice portare neglexit, quod eodem die experimento miserrimo recognovit; nam, dum temere cum exercitu modico, non habito respectu ad multitudinem barbarorum, qui in decuplo exercitui suo superabundabant, in hostes prorupit, in momento tam ipse imperator quam totus ejus exercitus ab inimicis Crucifixi circumvallati omnes aut interfecti sunt aut in captivitatem adducti; pauci quoque ex omnibus qui per fugam elapsi sunt, de imperatore quid actum sit vel quo devenerit, penitus ignorabant. Erat autem ea tempestate capellanus quidam natione Anglicus, qui in capella imperatoris cum suis clericis divina celebravit mysteria, qui unus fuit ex custodibus reliquiarum et annulorum aliarumque rerum dicti imperatoris. Hic itaque cum casum cognovisset de morte, ut omnes prædicabant, domini sui imperatoris, ab urbe Constantinopolitana cum dictis reliquiis et annulis et rebus aliis multis, cum lapidibus pretiosis, latenter recedens ad Angliam usque pervenit, veniensque ad sanctum Albanum cuidam ibidem monacho quandam crucem argenteam et deauratam, cum duobus digitis de sancta Margareta et annulis aureis lapidibusque pretiosis, vendidit, quæ omnia nunc in monasterio sancti Albani in magna veneratione habentur; deinde dictus capellanus de mantica sua quandam crucem ligneam extrahens ostendit eam quibusdam monachis, de qua etiam affirmavit cum juramento quod indubitanter erat ex ligno illo, in quo Salvator mundi pro redemptione generis humani pependit, sed, quia non credebatur dictis ejus ibidem, recessit inde, thesaurum impretiabilem, licet ignotum, secum

gerens. Habuit autem dictus capellanus duos A.D. 1223.
Miracles at
Bromholm. filios parvulos, de quorum sustentatione et cura nimis erat sollicitus, qua curiositate ductus in pluribus monasteriis tali conditione prædictam obtulit crucem, ut ipse et filii ejus reciperentur ad ordinem monachatus; qui, cum multis in locis inter divites repulsam passus fuisset, venit tandem ad cellam quandam, quæ Bromholm nuncupatur, pauperrimam et ædificiis omnimodis destitutam, in territorio Norfolcensi sitam, et, accersito ad se priore cum quibusdam de fratribus, ostendit eis crucem supradictam, quæ duplici ligno ex transverso fuerat fabricata, habens fere longitudinem manus humanæ, et rogavit humiliter, quatenus cum ipsa cruce et aliis reliquiis quas habebat ipsum et filios suos reciperent ad ordinem monachorum. Prior vero et fratres ejus de tanto exhilarati thesauro illico, procurante Domino, qui honestam semper amplectitur paupertatem, dictis capellani adhibuerunt fidem, et lignum Dominicum reverenter accipientes detulerunt illud in oratorium suum et cum quanta potuerunt devotione in loco honestissimo servaverunt. Hoc denique anno, ut prædictum est, cœperunt divina celebrari miracula, ad laudem et gloriam vivificæ crucis, in monasterio prædicto; ubi mortuis vita, cæcis visus, claudis gressus restituitur, leprosis caro munda donatur, obsessi a dæmonibus liberantur, et quicumque infirmus cum fide ad lignum prædictum accesserit incolumis et sanus recedit. Frequenter autem adoratur et colitur crux præfata non solum a gente Anglicana, verum etiam ab hominibus de regionibus longe positis, et, qui de illa divina audierunt miracula, devotissime venerantur.

Qualiter rex Anglorum, invitis baronibus, dominica castella in usus suos receperat.

A.D. 1224.
The king
demands of
the barons
the custody
of their
castles.

Anno Domini MCCXXIV. rex Henricus ad Natale tenuit curiam suam apud Norhamptonam, præsentē archiepiscopo Cantuariensi cum suis suffraganeis et militia magna nimis; comes vero Cestrensis cum suis conspiratoribus apud Leicestriam tenuit festum suum, tumens et minas contra regem et ¹justiciarium intendens pro custodiis castrorum ac terrarum, quas idem rex exigebat ab illo. In crastino autem post missarum solemniam archiepiscopus Cantuariensis cum suis suffraganeis episcopis, albis induti vestibus et candelis accensis, excommunicaverunt omnes regis et regni perturbatores et sanctæ ecclesiæ et rerum ecclesiasticarum invasores; deinde idem archiepiscopus misit solennes nuntios apud Leicestriam ad comitem Cestriæ et suos complices, firmiter denuntians singulis et universis, quod, nisi in crastino resignarent in manus regis omnia castella et honores ad coronam spectantes, ipse et omnes episcopi nominatim excommunicarent illos, sicut eisdem a domino papa fuerat demandatum. Tunc comes Cestrensis et ejus complices, cum per exploratores edocti fuissent quod rex majorem quam ipsi habuit numerum armorum, consternati sunt valde, quia, si facultas eis suppeteret, in regem propter justiciarium potenter arma moverent; sed, cum proprium conspexissent defectum, verebantur dubium certamen inire, et præterea timuerunt archiepiscopum et episcopos, ne forte illos excommunicarent nisi desisterent ab inceptis; unde saluberrimo usu

¹ *Justiciarium.*] Whose stratum it was, by taking the castles | out of their hands, to diminish their power; Rad. de Coggeshale.

consilio venerunt apud Norhamtonam ad regem A. D. 1224.
 universi, et a comite Cestrensi incipientes red-
 diderunt singuli castella et municipia, honores et
 custodias, regi, quæ ad coronam spectare vide-
 bantur; mansit nihilominus eorundem magna-
 tum indignatio adversus regem, quia noluit ad
 illorum instantiam justiciarium amovere. Erant
 autem hujus dissidii incentores comes Cestrensis,
 comes Albemarlensis, Johannes constabularius
 Cestriæ, Falcasius cum suis castellanis, Rober-
 tus de Veteri-ponte, Brienus de Insula, Petrus
 de Malo-leone, Philippus Marc, Ingelardus de
 Athie, Willelmus de Cantelo et Willelmus filius
 ejus, et multi alii, qui omnes pacem regni pertur-
 bare summopere conabantur.

*Qualiter Lodowicus, rex Francorum, Rupellam cum
 residuo Pictaviæ subjugavit.*

Eodem anno rex Francorum Lodowicus duxit Rochelle
given up to
the French.
 exercitum grandem ad Rupellam, ut et illam
 vel armis vel pretio subjugaret; quo cum per-
 venisset, obtulit civibus non modicam pecuniam,
 ut villam suam ei reddentes fidelitatem sibi fa-
 cerent essentque illi de cætero intendentes; at
 cives, cum a rege Anglorum se quasi ¹derelictos
 reputassent, tam prece quam pretio inducti
 regi Francorum ²Rupellam tradiderunt. Tunc
 rex tam in villa quam in castello milites posuit
 et servientes, ac deinde, de tota Pictavia securi-

¹ *Derelictos.*] In the Close Rolls is a writ to Savary de Mauleon as seneschal of Poitou, charging him with neglect in not having appointed B. de Podio (according to his own previous recommendation) to the government of Rochelle; p. 582. After Rochelle was taken, according to the French

chronicles, fearing to return to England, de Mauleon went over to the enemy. Rec. des Hist. tom. xvii. p. 307.

² *Rupellam tradiderunt.*] Letters upon the loss of Rochelle, from the mayor and council of Bayonne, are printed in Rymer, i. p. 173.

A. D. 1224. tate recepta, ¹sine sanguinis effusione ad propria pacifice remeavit. Est autem Rupella portus in Pictavia, ubi reges Anglorum et milites ad defensionem regionum illarum applicare consueverant, quibus nunc via præclusa est per insidias, quæ sibi a suis baronibus in Anglia parabantur.

*De obsidione castri Bedefordensis et de concilio
Norhamtonensi.*

Council of
Northamp-
ton.

Per idem tempus convenerunt ad colloquium in octavis sanctæ Trinitatis apud Norhamtonam rex cum archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus et aliis multis, de regni negotiis tractaturi; voluit enim rex uti consilio magnatum suorum de terris transmarinis, quas rex Francorum paulatim occupaverat, sed secus accidit quam sperabat. Nempe fuerunt eo tempore apud Dunstapliam justiciarii regis, quos 'itinerantes' appellamus, Martinus scilicet de Pateshulle, Thomas de Muletona, Henricus de Braibroc, et alii, qui ibidem tenebant placita regis de nova dissaisina; ubi Falcasius inter alios, qui multos spoliaverat, cecidit in misericordia regis de plusquam triginta paribus literarum, de quibus singulis in centum libris erga regem debuerat condemnari. Hoc itaque cum Falcasio fuerat intimatum, iratus est valde; unde nimis inconsulte agens jussit militibus, qui in præsidio castri Bedefordensis erant, quatenus in manu armata ad Dunstapliam accedentes justiciarios præfatos caperent atque vinculis constrictos apud castrum de Bedeford in obscuritatem detruderent carceralem. Sed justiciarii talia cognoscentes recesserunt cum festinatione, quo im-

¹ *Sine sanguinis effusione.*] In the Dunst. Chron. Savary de Mauleon is said to have resisted, and killed many of the enemy; p. 140.

petus eos ducebat; inter quos ¹Henricus de Braibroc A. D. 1224. incaute fugiens captus a militibus sæpe dictis et satis inhumane tractatus apud castrum prælibatum est carcerali custodiæ mancipatus. Rumore itaque divulgato, venit uxor prædicti Henrici apud Norhamtonam ad regem, et, audiente universo concilio, de viro suo cum lachrymis querelam deposuit; quod rex factum nimis indigne ferens quæsivit consilium a clero simul et populo, quid sibi super tanta injuria foret agendum. At omnes una voce consilium regi dederunt, quatenus sine mora, et omnibus aliis prætermisissis negotiis, in manu valida et armata ad castrum prælibatum accedens tantam temeritatem studeat vindicare; cumque domino regi dicta placuisset sententia, ipso jubente, omnes ad arma quam citius convolantes ad castellum de Bedeford, tam ²clerus quam populus, pervenerunt. Missis igitur a rege nuntiis ad magistrōs castellanos, petiit ingressum sibi dari, et Henricum de Braibroc justiciarium suum reddi mandavit. Willelmus quoque de Breaute, frater Falcasii, et alii inclusi, nuntiis responderunt, se castellum non reddituros nisi inde a domino suo Falcasio præceptum haberent, et ob hoc præcipue, quod regi de homagio vel fidelitate non tenebantur astricti. Quod responsum cum regi renuntiatum fuisset, indignatus est valde, et iratus jussit castellum cuneis militaribus circumcingi; illi vero, sese ad defensionem præparantes, muros et propugnacula undique defendere vacaverunt. Tunc archiepiscopus et episcopi

Siege of Bedford castle.

¹ *Henricus de Braibroc.*] In Rymer is a writ of the king, by which he remits his anger against Colin de Breaute, which he had entertained against him for the imprisonment of Henry de Braibroc by his brother, i. p. 175.

² *Clerus.*] An account of the aid furnished by the clergy on this occasion is in a writ by the king, dated Bedford, 18th Aug.; Rym. i. p. 175.

A.D. 1224.
Siege of
Bedford
castle.

universi ipsum Falcasium et omnes, qui in castelli præsidio erant, candelis accensis, ¹excommunicationis mucrone percusserunt. Obsessum est autem castellum decimo sexto kalendas Julii, die videlicet Jovis proximo post octavas Trinitatis. Et, his ita gestis, venerunt ex præcepto regis ²bellica instrumenta, petrariæ scilicet et mangonella, quibus in gyrum locatis, insultus acerrimos assidue faciebant; inclusi e contrario defensionis vacantes tela mortifera viriliter emittebant. Quid plura? vulnerabantur mutuo multi et occidebantur. Interea rex misit manum armatam, ut Falcasium quæreret et inventum regi præsentaret, sed ille per exploratores præmonitus ad Walliam usque confugit; unde nuntii ad regem revertentes se laborasse inaniter fatebantur. At rex in iram provocatus juravit per animam patris sui, quod, si per vim caperentur inclusi, patibulo suspenderet universos; illi vero per minas regis ad majores provocati injurias prohibuerunt regiis nuntiis, ne quis eos ulterius de reddendo castello sollicitaret. Crevit igitur hinc inde mortale odium ex multitudine peremptorum, ita quod nec fratres fratribus, nec parentes filiis, pepercerunt. Tandem vero, post stragem nimiam mutuo illatam, artifices regis castellum fecerunt ligneum, altum et ³geometrica arte fabricatum, in quo balistarios collocaverunt, qui

¹ *Excommunicationis mucrone percusserunt.*] The bishop of Coventry writes to the king, that, finding Faulkes de Breaute was staying in the neighbourhood of Chester, he, with the bishop of Exeter, had excommunicated him; *ibid.*

² *Bellica instrumenta.*] See a more particular account of the siege and taking of the castle in

the Chron. Dunst. p. 142, *seq.* The Close Rolls contain many writs for arms, provisions, etc. for the use of the king and the army before Bedford castle; p. 605, *seqq.*

³ *Geometrica arte fabricatum.*] ‘Erant ibi duæ machinæ lignæ arte fabrili supra eminentiam turre et castri erecta ad opus balistariorum;’ *ibid.*

omnem castelli possent circumstantiam perscrutari; nec deinceps erat aliquis in castello, qui ab armis exiret, quin protinus mortaliter læderetur. Nec idcirco inclusi prosternere adversarios omiserunt; nam in confusionem propriam duos milites de exercitu regis, qui se nimis temere morti exposuerunt, cum multis aliis peremerunt, undecunque in se adversariorum suorum animos provocantes.

A.D. 1224.

De captione castri prædicti et militum suspensione.

Rex autem interim de maneriis Falcasii et terris ubique per Angliam fecit fruges et armenta cum rebus aliis distrahi et infiscari, ut inde in obsidione diutina ex ejus damnis haberet auxilium. Tandem, cum a regis bellatoribus duæ testudines, quas Gallice ¹ ‘Brutesches’ appellant, non sine multorum læsione subactæ fuissent, invaserunt castellum undique consequenter inclusosque, vellent nollent, ingredi compulerunt. At regales castellum ingressi, equos, arma, cum victualibus multis et innumeris rebus aliis, lucrati, hilares revertuntur; deinde turrim aggredientes regii victores magnam murorum partem contriverunt. Et his ita gestis, cum viderent inclusi se diutius resistere non posse, in vigilia assumptionis beatæ Mariæ de castello quidam ex eis exeuntes misericordiam regis implorabant, quos rex omnes vinculis jussit arctissimis constringi donec residuos subjugasset. In crastino autem, cum omnes vulnerati et plagis lethiferis afflicti exiissent et ad præsentiam regis adducti fuissent, addicti sunt ad suspendium universi; suspensi sunt itaque inter milites et servientes, qui propter superbiam suam, quam

Bedford
castle taken.

¹ *Brutesches.*] See Du Cange’s Glossary, under the word ‘Brethachæ.’

A.D. 1224. regi ostenderant in obsidione jam finita, non potuerunt misericordiam impetrare, [viginti quatuor.] Henricus vero de Braibroc sanus et incolumis ad regem veniens multas ei gratiarum retulit actiones. Falcasius autem, spe falsa seductus, creditit suos per annum integrum castellum posse a captione defendere; sed tandem, cum fratres suos et alios omnes suspensos certa relatione cognovisset, sub conductu Alexandri, Coventrensis episcopi, apud Bedeford venit ad regem et corruens ¹pronus ad pedes ejus postulavit, quatenus pro magnis obsequiis suis et laboribus sumptuosis sibi ac patri suo tempore hostilitatis impensis misericordiam adhiberet. Tunc rex per consilium tradidit illum, castellis, terris ac rebus omnibus spoliatum, sub custodia Eustachii, Londinensis episcopi, donec quid de illo ageret esset sententia-liter definitum; et sic quasi in momento idem Falcasius de ditissimo pauperrimus effectus, multis et maxime nocentibus poterit fieri in exemplum. De hoc vero casu fortunæ quidam sic ait,

‘ Perdidit in mense . Falco tam fervidus ense,
Omne sub sævo . quicquid quæsit ab ævo.’

Uxor quoque sæpedicti ²Falcasii conspectui se regis et archiepiscopi representans dixit se in eum nunquam consensisse, ut illi matrimonio jungeretur; unde, cum tempore hostilitatis violenter capta esset et absque consensu desponsata, divor-tium fieri postulavit. Tunc archiepiscopus statuit illi diem, ut interim deliberationem haberet quid agere debuisset; rex vero concessit ei terras omnes et possessiones suas per totam Angliam

¹ *Pronus ad pedes ejus.*] The charter by which he resigns all his money and other property into the king's hands is in Rymer, i. p. 175; it is dated the 25th August.
² *Falcasii.*] ‘Margareta scilicet de Ripariis;’ Paris.

et eam sub custodia Willelmi comitis de Warrenna deputavit. Regi vero, pro magnis laboribus suis et expensis, tam a prælatis quam a laicis concessum est per totam Angliam carucagium, de qualibet caruca duæ marcæ argenti; magnatibus item concessit rex scutagium, videlicet de scuto quolibet duas marcas sterlingorum; et sic omnes ad propria recesserunt. Castellum quoque illud fecit rex complanari et redigi in acervos, atque domos dedit Willelmo de Bello-campo, et locum cum ædificiis universis. A.D. 1224.

Concessa est regi Anglorum quintadecima pars rerum mobilium.

Anno Domini MCCXXV. rex Henricus ad Natale tenuit curiam suam apud Westmonasterium, præsentibus clero et populo cum magnatibus regionis. ^{A.D. 1225.} ^{Tax of a fifteenth levied on moveables.} ¹Solennitate igitur, ut decebat, completa, Hubertus de Burgo, domini regis justiciarius, ex parte ejusdem regis proposuit coram archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus et aliis universis damna et injurias, quæ regi illata fuerant in partibus transmarinis, ex quibus non solum rex, sed et comites multi ac barones sunt exhæredati cum ipso; et, cum multi sunt in causa, multorum subventio erit necessaria. Petiit ergo ab omnibus consilium pariter et auxilium, quibus corona Angliæ dignitates amissas ac jura posset pristina revocare; ad hoc quoque plene perficiendum, regi sufficere credit, si ei quintadecima pars omnium rerum

¹ *Solennitate.*] The directions to the justiciaries as to the mode of collecting this tax may be seen in Rymer, p. 177; immediately following which is a bull from the pope to the king, 'quod dictus rex prudenter se habeat erga suos vassallos.' In it he urges the king, 'ut cum vassallis tuis non ponas hoc tempore rationem, nec eos super restitutione tuorum reddituum scandalizes; sed hæc et alia, quæ possunt scandalum generare, prudenter in tempus differas opportunum.'

A. D. 1225.

mobiliū totius regni Angliæ tam a personis ecclesiasticis quam a laicis donaretur. His in hunc modum prosecutis, archiepiscopus et concilio tota episcoporum, comitum, baronum, abbatum et priorum, habita deliberatione, regi dedere responsum, quod regis petitionibus gratanter adquiescerent,¹ si illis diu petitas libertates concedere voluisset. Annuit itaque rex cupiditate ductus quod petebant magnates, chartisque protinus conscriptis et regis sigillo munitis, ad singulos Angliæ comitatus² chartæ singulæ diriguntur, et ad provincias illas, quæ in forestis sunt constitutæ, duæ chartæ sunt directæ, una scilicet de libertatibus communibus et altera de libertatibus forestæ; istarum autem tenor chartarum superius habetur expressius ubi historia agitur de rege Johanne, ita quod chartæ utrorumque regum in nullo inveniuntur dissimiles. Tunc constitutus est dies certus ad mensem post Pascha, ut de singulis comitatibus regni duodecim milites et legales homines eligerentur, qui addito juramento novas a veteribus discernent forestas, ut omnes illæ, quæ inventæ fuerint afforestatæ post primam coronationem Henrici avi istius regis, statim deafforestentur; et sic, soluto concilio, delatæ sunt chartæ singulæ ad singulos comitatus, ubi ex regis mandato, literatorio interposito juramento, ab omnibus observari jubentur.


*Ut rex Anglorum Richardum fratrem suum in
Wasconiam miserit.*

Expedition
into Gascony
under prince
Richard.

Eodem anno, in die purificationis beatæ Mariæ, Richardus, frater regis Angliæ, ab eodem

¹ *Adquiescerent.*] The Cistercians gave him two thousand, the Jews five thousand marks; Annal. Waverl. p. 189.

² *Chartæ.*] In the Annal. Burton. and Walter Hemingford these charters are given at length.



rege donatus est ¹cingulo militari, et decem nobiles cum eo, qui ad ejus sunt obsequium deputati; qui postea tempore vernali, a rege cum Willelmo² comite Saresbiriensi et Philippo de Albeneio militibusque quadraginta in Wasconiam die Palmarum missus, velis prosperis in civitate Burdegalensi omnes feliciter appulerunt; quorum adventus cum archiepiscopo et civibus divulgatus fuisset, honorifice ab omnibus sunt recepti. Deinde, congregatis civibus coram archiepiscopo et nuntiis regis, Richardus, frater regis prædicti, literas fratris sui archiepiscopo et civibus cunctis porrexit, in quibus rex humiliter supplicavit, quatenus omnes homines et fideles sui de regionibus illis fratrem ejus amabiliter susciperent, et consilium ei pariter et auxilium præstarent, quibus terras amissas revocare valuisset; at omnes gaudenter ipsum suscipientes regi per illum Angliæ subjectionem fecerunt. Venerunt igitur ad eum multi de partibus illis milites et servientes, quibus cum stipendia sufficienter ministrasset, in ejus obsequio remanserunt; dederat ei namque rex, antequam illum miserat ad partes transmarinas, Cornubiæ comitatum cum tota Pictavia, unde ab omnibus comes Pictaviensis vocabatur. Itaque comes Richardus, cum avunculo suo Willelmo comite Saresbiriensi et Philippo de Albeneio et militia copiosa, processit per villas et castella Wasconiae regionis, et quoscumque contradictores, qui homagium ³regi et fidelitatem facere noluerunt, invenit, castella eorum et villas obsedit et poten-

¹ *Cingulo militari.*] Chron. Dunst. p. 153.

² *Willelmo comite Saresbiriensi et Philippo de Albeneio.*] For the king's letters recommendatory on

their behalf, see Rymer, i. p. 177; compare the account of this expedition by the writer of the 'Gesta Ludovici,' Rec. des Hist. xvii. p. 307.

³ *Regi,*] wanting in C.

A. D. 1225.

ter omnia subjugavit; nam Riolense castrum cum villa longa obsidione cepit, ¹villam sancti Marcarii cum municipio obtinuit, Bregerac castrum obsedit et dominum ejus ad regis fidelitatem revocavit. Sed, dum in longa obsidione apud Riolense castrum acerrimos insultus et crebros ageret, Lodowicus, rex Francorum, Hugoni comiti Marchiæ aliisque Pictaviæ baronibus dedit in mandatis, quatenus ad castrum præfatum hostiliter accedentes comitem Richardum captum sibi præsentarent et obsessos a periculo liberarent. Comes vero Marchiæ, junctis sibi quibusdam baronibus et militibus armatis, cum apparatu non modico ad prædictam obsidionem dissolvendam processit, sed Richardus comes cum sociis suis, de adventu hostium per exploratores præmunitus, paravit ei insidias, et, parte exercitus sui ad obsidionem dimissa, ipse cum parte armatorum probatissima ad nemus quoddam, quod prope erat, divertens hostes venientes expectavit ibidem; qui dum locum insidiarum versus obsidionem pertransissent, comes Richardus et socii ejus cum strepitu buccinarum et vibramine hastarum irruerunt in ipsos, et, dirissimo conflictu inter partes confecto, in fugam adversarios compulerunt, quos comes Richardus ardentem insecutus bigas hostium et summarios cum spoliis et vasis argenteis subegit, multis ex fugientibus interfectis, et sic in brevi totam sibi Wasconiam subjugavit. Eodem anno Johannes, Eliensis episcopus, diem clausit extremum; cui successit Gaufridus de Burgo, archidiaconus Norwicensis.

¹ *Villam sancti Marcarii.*] S. of his successes, dated from this town on the 2nd of May, is in to his brother, giving an account | Rymer, i. p. 178.

De exilio Falcasii proditoris.

Circa hos quoque dies, Martio scilicet mense, convenerunt apud Westmonasterium ad colloquium rex Anglorum cum magnatibus suis, ubi idem rex jussit sententialiter diffinire, quid de proditore suo Falcasio foret agendum. Proceres vero in hoc pariter consenserunt cum rege, eo quod patri suo multis fideliter servierat annis, ne de vita periclitaretur vel membris, sed, ut Angliam æternaliter abjuraret, omnes communiter addixerunt; quo facto, præcepit Willelmo comiti Warennæ rex, ut ipsum sub salvo ad mare conduceret et navi impositum committeret ventis et velis. Quod cum factum fuisset, dum Falcasius navem ingrederetur, adjuravit comitem prædictum cum lachrymis ut salutaret dominum suum regem, affirmans cum juramento, quod perturbationes, quas in regno fecerat, instinctu majorum regni Angliæ se fecisse; sicque cum quinque tantum servientibus in Normanniam transvectus, confestim ut applicuit a ministris regis Francorum ¹captus est et regi prædicto præsentatus, sed, quoniam inventus fuit cruce signatus, dimiserunt eum, qui illico Romam profectus est. Tandem cum Roberto Passeleawe, clerico suo, papæ præsentatus est, sicut suo loco dicitur.

A.D. 1225.
Sentence of
banishment
passed on F.
de Breaute.

De visione quæ forestæ deafforestari debeant.

Eodem anno, ad mensem de Pascha, missi sunt a rege Angliæ Hugo de Nevilla et Brienus de Insula cum aliis ad hoc assignatis per Angliam, ut in singulis forestarum provinciis duodecim milites, vel liberi homines et legales, eli-

Inspection
of forests.

¹ Captus.] He was taken in letter of the pope's legate; Ry-Burgundy, as it appears from a mer, i. p. 176.

A.D. 1225. gerentur ad deambulandum metas forestarum, ut per sacramentum eorum, quæ forestæ remanere ut fuerunt prius et quæ deafforestari debeant, discernatur. Facta itaque in brevi regii exsecutione mandati, licet non sine magna contradictione plurimorum, concessis libertatibus singuli usi sunt, de boscis suis propriis vendentes, essarta facientes, bestias venantes, terram arabilem de inculta sulcantes, ita quod de nemoribus deafforestatis omnes pro libitu disponebant; et non solum homines, verum etiam canes, qui prius expeditari solebant, has libertates se habere gaudebant. Communibus vero libertatibus magnates, milites et libere tenentes adeo usi sunt, quod nec iota unum in regis charta contentum exstitit prætermissum.

De collectione quintadecimæ ad opus regis.

Tax on
moveables
collected.

Circa eosdem denique dies quintadecimæ partis medietas totius regni omnium mobilium et rerum habitarum colligitur ad opus regis, concessis induciis de altera medietate usque ad festum sancti Michaelis. Eodem anno Hugo Bigod, comes Orientalium Anglorum, humanæ naturæ debitum solvit, cujus terras et honores omnes rex sub justiciarii custodia deputavit.

De concubinis sacerdotum.

Act on the
concubines
of the clergy.

Eodem anno exivit decretum ab archiepiscopo Cantuariensi et episcopis ejus suffraganeis in hunc modum. Concubinæ sacerdotum et clericorum, qui infra sacros ordines constituti et beneficiati sunt, ecclesiastica careant sepultura, nisi sane se correxerint et incolumes, vel tanta earum in extremis appareat pœnitentia, propter quam non immerito cum eis debeat dispensari. Item, non recipiantur ad osculum pacis, nec

panem benedictum percipiant in ecclesia, quam-
 diu concubinarij eas detinent in domibus suis
 vel publice extra domos. Item, si pepererint,
 non purificentur, nisi prius sufficientem præsti-
 terint cautionem archidiacono, vel ejus officiali,
 de satisfactione in proximo capitulo post puri-
 ficationem earum facienda. Item, sacerdotes,
 in quorum parochiis concubinæ talium commo-
 rantur, si non hoc ostenderint archidiacono, vel
 ejus officiali, suspendantur; et, priusquam relax-
 entur, gravi pœnitentiæ subjaceant. Item, quæ
 convinci poterit, quod sacerdos eam carnaliter
 cognoverit, publicam agat pœnitentiam et so-
 lennem, ac si de adulterio esset convicta, etiam
 si soluta fuerit; si vero desponsata super rem
 hujuscemodi fuerit convicta, tanquam pro duplici
 adulterio puniatur, ne tanti reatus impunitas alijs
 transeat in materiam delinquendi.

A.D. 1225.

Ut comes Saresbiriensis a naufragio fuerit liberatus.

Per idem tempus Willelmus comes Saresbiri-
 ensis, qui cum comite Richardo militaverat in
 partibus transmarinis, ad Angliam transiturus
 naves intravit; ¹sed cum longo maris periculo
 et ventorum turbinibus per dies plurimos et
 noctes in partes diversas jactaretur, cum ipsis
 nautis et alijs omnibus, qui in navi erant, de
 vita desperatus, annulos pretiosos et quæcum-
 que in auro vel argento aut pretiosis vestibus
 possidebat fluctibus pelagi commisit, ut, sicut
 ad vitam nudus intravit temporalem, ita ab omni
 honore terreno spoliatus ad patriam transiret

The earl of
 Salisbury
 wrecked;

¹ Sed.] Chron. Dunst. p. 161; where is also an account of the fleet, which had taken out treasure to Richard, having been stopped in Rochelle roads by Savary de Mauleon on its return. The com-
 manders offered him 200 marks to allow them to proceed, which was refused; the wind, however, shifting suddenly, they got under weigh and escaped.

A. D. 1225. æternam. Et, cum in suprema fuisset desperatione constitutus, visus est cereus ingens et magno splendore coruscans ab omnibus, qui in navi periclitabantur, in summitate mali, et juxta cereum stantem viderunt puellam quandam nimia pulchritudine decoratam, quæ lumen cerei, quod nocturnas tenebras illustrabat, a ventorum pluviarumque irruentium robore conservaret præclarum; ex hac quoque cælestis visione claritatis tam comes ipse quam nautæ omnes securitate concepta, divinum sibi adesse auxilium confidebant. Et cum universi, qui in navi erant, quid hæc visio portenderet, ignorant, solus Willelmus comes præfatus hujus benignitatis gratiam beatæ Mariæ virgini assignavit; siquidem comes sæpedictus, die quo primo donatus cingulo fuerat militari, cereum unum ante altare beatissimæ matris Dei assignavit, ut ad missam, quæ diebus singulis in honorem ejusdem Dei genitricis cum horis canonicis devote solet decantari, jugiter arderet, et pro lumine temporali lucem commutaret æternam.

Qualiter idem comes hostium insidias evaserit.

cast on the
island of Ré;

His ita gestis, cum crastinus dies illuxisset, projectus est comes cum sociis suis, ventis impellentibus, ad quandam maris insulam, quæ Re dicebatur, tribus a Rupella distans miliaribus, ubi brevibus ingressi cymbis ad insulam navigabant. Est autem in insula illa abbatia quædam ordinis Cisterciensis sita, ad quam comes nuntios dirigens postulavit, ut tutus posset ibidem latere ab hostibus, donec aura sibi felicior arrideret; quod abbas loci sibi gratanter annuens cum honore ipsum et ejus consortes suscepit. Erat autem insula illa in custodia Savarici de Malo-leone, qui tunc temporis cum Lo-

dowico, Francorum rege, militabat et maris A.D. 1225.
 insulas nonnullas cum armatis non paucis ob-
 servabat ; cujus duo servientes, qui comitem
 plene noverant et cum aliis multis ad insula-
 rum custodiam fuerant deputati, amicabiliter
 accedentes ad eum postquam per triduum deli-
 tuerat ibidem, dixerunt, quod, nisi ante lucem
 crastinam ab insula recederet, caperetur a suis
 sodalibus, qui cum illis insulas et maris semitas
 observabant. Tunc comes, datis servientibus
 prædictis viginti libris sterlingorum, ad naves his escape
thence.
 celeriter convolavit, et maris sese fluctibus
 commendans fere per tres menses antequam in
 Angliam applicaret inter undas sævientes con-
 tinue laborabat.

*Ut magister Otho pro negotiis domini papæ in Angliam
 venerit.*

Eodem anno magister Otho, domini papæ nun- Otho, the
pope's legate,
arrives in
England;
 tius, in Angliam veniens pro magnis ¹ecclesiæ
 Romanæ negotiis regi literas præsentavit ; sed
 rex, cognito literarum tenore, respondit, quod
 solus non potuit diffinire, nec debuit, negotium
 quod omnes clericos et laicos generaliter totius
 regni tangebatur. Tunc per consilium Stephani,
 Cantuariensis archiepiscopi, datus est dies a rege
 in octavis Epiphaniæ, ut, ²convocatis omnibus
 clericis et laicis, super præfato negotio tunc
 tractarent apud Westmonasterium, et ibidem
 fieret quod justum singulis videretur.

Ut idem Otho Falcasium regi pacificare laboraverit.

Eodem tempore magister Otho ex parte do- intercedes
for F. de
Breaute.
 mini papæ regem Angliæ humiliter rogavit, ut
 Falcasio sibi reconciliato uxorem cum terris et

¹ Ecclesiæ.] Chron. Dunst. p. 161. | ² Convocatis omnibus clericis et
 laicis.] See below, p. 114.

A.D. 1225. omnibus rebus amissis ad integrum restitueret, et ipsum, qui patri suo et sibi in guerra sua tam fideliter servierat, pura, ut decebat, diligeret caritate. Ad hoc quoque ¹respondit rex, quod propter proditionem manifestam ab omni clero et populo regni per iudicium curiæ suæ ab Anglia fuerat in exilium pulsus, et, licet regni cura specialiter ad ipsum spectare videretur, debet leges quidem et bonas regni consuetudines observare. Hæc autem cum audisset magister Otho, cessavit ulterius de Falcasio sollicitare regem. Tunc idem Otho cepit ab omnibus ecclesiis Angliæ conventualibus, nomine procurationis, duas marcas argenti; et sciendum est, quod, tempore quo magister Otho venit in Angliam, dominus papa misit nuntios per orbem universum, exactiones ubique indebitas exigens, sicut inferius dicitur.

*De puella quadam, quæ seculum relinquens ad ordinem
Minorum confugit.*

Legend.

Circa eosdem dies erat puella quædam in finibus Burgundiæ, generis nobilitate præclara, quam parentes de possessionibus non modicis hæredem sibi constituere decernentes cuidam viro ex illustri prosapia genito nuptam tradere voluerunt; sed puella, quæ ab annis puerilibus studiis fuerat liberalibus imbuta, in secreta cordis puritate virginitatem suam Deo dedicaverat. Parentum clam deserens palatium in habitu peregrino, ut se liberius a paternis conspectibus amoveret, contulit se ad contubernium quorundam fratrum de ordine Minorum; ubi, ipsa exigente, de illius rigore ordinis ad plenum erudita calceamenta deposuit, saccum

¹ *Respondit rex.*] Compare the legate's letters to the pope, in Rymer, i. p. 176.

et cilicium induit, atque crines, in quibus luxuria regnare solet, despicabiliter præcidit, et, quibuscumque modis potuit, naturalem quem habebat corporis decorem in omnem studuit deformitatem transferre. Sed cum ad hæc nimis inaniter laborasset, dum non potuit, prohibente natura, elegantissimam sui corporis [deformare] dispositionem, quæ in omni dimensitate videbatur quasi incomparabilis, illam solummodo, quæ intus erat, carnis munditiam perenni Sponso, qui in cælis est, consecrare disposuit; et, hoc propositum ut liberius perduceret ad effectum, spontaneam paupertatem elegit, officium sanctæ prædicationis assumpsit, vestium asperitatem induit, in lecto pro stratu mattam, pro cervicali saxum, habuit, atque in vigiliis continuatis et jejuniis carnem affligens, orationibus insistens, in rerum supercælestium contemplatione studuit infatigabiliter conversari. Tandem, cum per multorum curricula annorum in omni perfectione et vitæ sanctitate Deo placere et evangelium pacis per civitates et castella, et præcipue sexui muliebri, prædicare studuerat, invidit ejus perfectioni humani generis inimicus, et per septem menses in tot puellam ac talibus rerum secularium tentationibus submergere curavit, quod, nisi ei divinum adfuisset auxilium, omnia bona vitæ præcedentis studia amisisset; reduxit namque ei ad mentem diabolus diebus simul et noctibus prædia parentum suorum quæ reliquerat fœcundissima, vinearum fertilium emolumenta, spatia pratorum amœnissima et florum diversorum varietate distincta, fontium scaturientium et rivulorum suaviter murmurantium oblectamenta, lignorum in nemoribus proceritatem, prolis fœcunditatem, viriles amplexus ac veneris inter marem et fœminam delectatio-

A.D. 1225.
Legend.

A. D. 1225.
Legend.

nem, lectorum nobilium mollitiem, adstantium balatronum jocunditatem, annulorum ac lapidum pretiosorum decorem, piscium et volatilium ferarumque silvestrium gustum delectabilem et suavem. In his igitur tentationibus et aliis consimilibus puella fere desperata et in diversas meditationes inducta, utrum derelicta repeteret, an in proposito religionis perseveraret, ineffabili mentis et corporis cruciatu diebus singulis et noctibus torquebatur; sed miserator et misericors Dominus, qui sperantes in se ultra quam possunt pati non permittit tentari, oculum puellæ restituit rationis, ut cerneret quanta in rebus temporalibus et delectationibus supradictis curiosa sit sollicitudo, in carnali commixtione turpitude, quanto res temporales sudore adquiruntur et cum quanto dolore amittuntur, quanta sit coram Domino virginalis munditia, qui matrem suam fœcundam esse voluit et in virginitate permanere disposuit, quæ merces sequitur fructum boni operis, quæ dulcedo sit in studio sanctæ ac divinæ contemplationis, quæ societas civium supernorum, quam suavis sit et delectabilis sanctarum refectio animarum et regnare cum Christo, ubi frigiditas nullum afficit, fames et sitis neminem affligit, ira, rixa, vana gloria, invidia, superbia, accidia, avaritia, cupiditas et ebrietas nullum premit. Hæc et his similia virgo beata sæpius mente revolvens, et inter tentationum turbines virtutum præteritarum custos existens, armis accincta divinis artes diaboli fraudulentas omnes feliciter superavit et ipsum ad tartara confusum direxit.

*Qualiter puella fuerit liberata per dæmonem
a quodam viro libidinoso.*

Tandem post dies paucos, cum puella præfata A.D. 1225.
Legend. ab omnibus esset diabolicis incursionibus penitus absoluta, diabolus ad eam reversus salutavit illam et dixit, ‘Salve,’ inquit, ‘domina mea et Deo cælorum virgo dilectissima; ego vero sum ille Sathanas, qui te jam per septem menses in tot tentationibus, licet inaniter, induxi, ut a bono te proposito revocarem et in eis laqueis irretirem; sed, quoniam in artibus meis fraudulentis a te victus defeci, hoc mihi pro pœna a Domino cæli inflictum est, ut nunquam de cætero mihi liceat aliquod hominum genus tentare vel quempiam a bonis actibus impedire. Habeo præterea mandatum a Domino, cui obtemperare necesse est, ut quodcumque mihi præceperis cum festinatione perficiam, et etiam quodcumque supplicium præceperis cum festinatione sine mora subire.’ Hæc audiens puella ait ad dæmonem, ‘Conservet me Deus a vestro consortio et famulatu, novit enim Ille quod talem ministrum nunquam dilexi.’ Et, his ita gestis, contigit puellam quandam ingredi civitatem, et gratia hospitandi domum cujusdam matronæ ingressa hospitium postulans impetravit. Vespere autem facto, juvenis quidam, prædictæ matronæ filius, de negotiis consuetis domum rediens, cum vidisset virginem, quam mater ejus caritative hospitaverat, cœpit admirari in habitu adeo despicabili, et faciei pallore simul et macie, omnium membrorum ejus naturalem dispositionem; in qua opus naturæ in tantum laudavit, quod a planta pedis usque ad verticem in nullo deliquit, sed et totius corporis sui dispositione etiam generis nobilitatem evidenter expressit. Quid ergo? Exarsit

A.D. 1225.
Legend.

juvenis in concupiscentia virginis, et accedens ad eam de consensu carnali puellam convenit. Illa, e contra, juveni constanter quod petiit denegans affirmavit se virginitatem suam ab ætate tenera Domino consecrasse; et præterea, cum voto suæ religionis et ordinis castitas sit adnexa, votum infringere esse nefarium asserebat; et his dictis recessit, ut nocturnam caperet requiem, ubi in quodam domatis angulo mattam sub se pro stratu, et saxum pro cervicali, juxta sui ordinis rigorem, capiti supponebat. Tunc juvenis ille, libidinis igne succensus, statuit immutabiliter in corde suo, quod, si de liberalitate a puella consensum obtinere nequiret, ipse cum ea rem ageret violenter, et veniens ad illam expressit ei quid facere cogitabat. At fœmina religiosa in angaria mentis constituta metuebat plurimum ne ejus puritas virginalis per ardorem adolescentis in aliquo læderetur, et reducens ad mentem quod sibi a diabolo dictum fuerat, quod videlicet ad nutum ejus quicquid præciperet illico adimpleret, extulit vocem et dixit, ‘Diabole,’ inquit, ‘ubi es?’ Et continuo dæmon respondit dicens, ‘Adsum, domina. Quid tibi placet?’ Et puella, ‘Libera me,’ inquit, ‘cito a nebulone isto, qui me inquietat, somnum capere non permittit.’ Et continuo dæmon juvenem per pedes truculenter arripiens non sine læsione illum longius a puella projecit; sicque ter nocte illa, dæmone procurante, dilecta Deo puella ab adolescentis ardore liberata in crastino recessit ab urbe, salva sibi pudicitia virginali. De hac quoque puella, quem finem habuerit, quoniam nullo tradente cognovi, ea quæ dicta sunt piis auribus et amatoribus sufficiant castitatis.

De quadam inclusa, quæ per septennium non comedit.

Eodem anno, in urbe Legecestrensi, obiit puella quædam inclusa religiosa, quæ per septennium ante obitum nullum omnino gustavit cibum, nisi quod diebus Dominicis corporis et sanguinis Domini communionem accepit; quod miraculum cum ad audientiam Hugonis, Lincolnensis episcopi, pervenisset, fidem non adhibuit veritati, sed plane incredulus fecit per dies quindecim a presbyteris et clericis inclusam prædictam arcta nimis observari custodia, quousque compertum fuit illam in toto termino memorato nullo usam fuisse corporis nutrimento. Faciem quoque semper habuit ut lilium candidissimam roseoque rubore perfusam, ad indicium pudicitiaë et munditiaë virginalis.

A.D. 1225.
Legend.

Quod comitissa Saresbiriensis maritum respuerit.

Circa hos quoque dies relatum est regi Anglorum, Willelmum comitem Saresbiriensem, ipsius regis avunculum, dum de partibus transmarinis rediret in Angliam, in mari fuisse submersum; sed, cum rex hujus rei eventum nimis moleste tulisset, accessit ad eum Hubertus, regni justiciarius, exigens ab eo ut uxorem ejusdem Willelmi daret Reimundo nepoti suo, cui honor comitatus illius jure hæreditario contingebat, ut eam sibi matrimonio copularet. Rex autem cum petitionem suam annuisset si posset comitissam inducere ad consensum, misit illico justiciarius Reimundum præfatum ad comitissam in nobili apparatu militari, si possit ad ejus amorem mulieris animum inclinare. Cumque eam Reimundus memoratus blandis sermonibus et promissionibus magnis ad consensum trahere conaretur, illa cum indignatione maxima

Anecdote of
the countess
of Salisbury.

A. D. 1225. respondit, se nuper literas accepisse et nuntios, qui comitem virum suum sanum esse et incolum mem fatebantur; respondit præterea, quod dominus suus comes si in veritate defunctus fuisset, nullo modo ipsum reciperet sponsum, quia generis ejus nobilitas id fieri prohibebat; ‘Alibi,’ inquit, ‘tibi quæras matrimonium, quia experto reperies te huc inaniter advenisse.’ At Reimundus hæc audiens confusus ab illa recessit.

Quomodo dominus papa præbendas sibi dari exegerit.

A. D. 1226.
Council held
at West-
minster to
consider the
demands of
the pope.

Anno Domini MCCXXVI. rex Henricus ad natale Domini celebravit festum suum apud Wintoniam, præsentibus quibusdam episcopis et magnatibus multis. Solennitate itaque peracta, profectus est rex apud Merlebergiam, ubi gravi infirmitate correptus per dies multos ibi desperatus jacebat. Venit interea terminus concilii ad festum sancti Hilarii ¹apud Westmonasterium præfixus, ubi rex cum clero et magnatibus regni comparere debuerat, ut domini papæ mandatum audiret. Multis igitur in loco præfato congregatis ²episcopis cum aliis prælatis et laicorum turbis, magister Otho, domini papæ nuntius, de quo habita est mentio superius, literas aperte coram omnibus recitavit; in quibus idem papa allegavit scandalum sanctæ Romanæ ecclesiæ et opprobrium vetustissimum, notam scilicet concupiscentiæ, quæ radix dicitur omnium malorum, et in hoc præcipue, quod nullus potest aliquod negotium in Romana curia expedire nisi cum magna effusione pecuniæ et exhibitione donorum. ‘Sed, quoniam scandali

¹ *Apud Westmonasterium.*] king was declared of full age, ii. Tyrrell states, from a MS. of the Annals of S. Augustine Canterbury, that at this council the] p. 859.
² *Congregatis episcopis.*] Chron. Wikes, p. 40.

hujus et infamiæ Romana paupertas causa est, A.D. 1226. debent omnes matris inopiam sublevare et patris ut filii naturales; quia, nisi a vobis et aliis viris bonis et honestis dona reciperemus, deficerent nobis necessaria vitæ, quod esset omnino Romanæ incongruum dignitati. Ad istud itaque scandalum penitus eradicandum, per consilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, quandam providimus formam, cui si voveritis consentire, a scandalo matrem vestram poteritis liberare et in curia Romana sine donorum obsequio exhibitionem justitiæ obtinere. Forma autem provisa hæc est; Petimus in primis ab omnibus ecclesiis cathedralibus duas nobis præbendas exhiberi, unam de portione episcopi et alteram de capitulo; et similiter in cœnobiis, ubi diversæ sunt portiones abbatis et conventus; a conventibus quantum pertinet ad unum monachum, æquali facta distributione bonorum suorum, et ab abbate tantundem.'

Hiis in hunc modum propositis, persuasit ex parte domini papæ magister Otho ut consentirent prælati, allegans supradicta commoda, quæ in literis continentur. Hæc autem omnia audientes episcopi et ecclesiarum prælati, qui personaliter interfuerunt, divertentes seorsum ad colloquendum, cum super rebus propositis diutius deliberassent, responsum suum in ore magistri Johannis, Bedefordensis archidiaconi, communiter posuerunt, qui veniens in præsentia magistri Othonis per hæc verba respondit; 'Domine, ista, quæ nobis proponitis, regem Angliæ specialiter tangunt, generaliter vero omnes ecclesiarum patronos regni; tangunt archiepiscopos et eorum suffraganeos, necnon innumeros Angliæ prælatos. Cum ergo rex propter infirmitatem, et archiepiscopi nonnulli et episcopi

The resolution passed.

A.D. 1226.

et alii ecclesiarum prælati, sunt absentes, in eorum absentia vobis respondere non possumus nec debemus; quia, si id facere præsumeremus, in præjudicium omnium absentium fieret prælatorum.' Et, hiis dictis, venit Johannes Mareschallus et alii nuntii regis, ad omnes prælatos, qui de rege baronias tenebant in capite, destinati, districte inhibentes, ne laicum feodum suum Romanæ ecclesiæ obligarent, unde a servitio sibi debito privaretur. Hæc autem cum magister Otho intellexisset, statuit his qui aderant diem ibi in media Quadragesima, dum ipse procuraret regis adventum et absentium prælatorum, ut tunc negotium sortiretur effectum; sed illi absque regis et aliorum, qui absentes erant, assensu præfixum diem admittere noluerunt, unde singuli ad propria sunt reversi.

De morte laudabili Willelmi, comitis Saresbiriensis.

Death of the
earl of
Salisbury.

Rex Anglorum interea, cum apud Merlebergiam ab infirmitate sua plene convalescisset, venit ad eum ibi Willelmus, comes Saresbiriensis, qui post longa maris pericula antea in diebus Natalitiis in Cornubia cum difficultate applicuerat; qui, cum fuisset a rege in magna susceptus lætitia, de justiciario coram domino rege gravem deposuit querelam, quod, dum in remotis partibus esset in servitio suo, ipse miserat degenerem virum quendam, qui eo vivente cum uxore sua fornicari disposuit et adulterinum cum ipsa matrimonium contrahere violenter; addidit insuper, quod, nisi rex plenam sibi de justiciario faceret justitiam exhiberi, ipsemet quæreret de tanto excessu vindictam in gravissimam regni perturbationem. Tunc justiciarius, qui præsens erat, proprium confessus reatum in equis pretiosis et donativis ingentibus gratiam sibi co-

mitis reparavit; et, sic facta concordia, invitavit A.D. 1226.
 comitem ad mensam suam justiciarius, in qua,
 ut dicitur, idem comes occulto infectus veneno,
 ad castellum suum Saresbiriense profectus, lecto
 decubuit graviter infirmatus. Invalescente de-
 mum ægritudine, cum certissima suæ necis in-
 dicia cognovisset, fecit episcopum civitatis ad
 se venire, ut ea quæ Christiani sunt in confessi-
 one et viatico susciperet et legitimum de rebus
 habitis conficeret testamentum. Intrante autem
 episcopo thalamum, in quo jacebat comes nu-
 dus omnino præter fœmoralia, contra eum cor-
 pus Domini ferentem ex lecto prosiliens, asper-
 rimumque laqueum circa collum connectens, cum
 jugi lachrymarum effusione se prostravit in pa-
 vimentum, summi Regis se esse proditorem con-
 testans, nec de loco moveri voluit, nisi facta
 confessione et vivifici sacramenti percepta com-
 munionem, ut se sui servum ostenderet Creatoris;
 et sic per dies aliquot in suprema perseverans
 pœnitentia spiritum suo tradidit Redemptori.
 Contigit autem, quod, dum de castello ad novam
 ecclesiam per unum miliare corpus ejus ad tu-
 mulandum portaretur, cerei, qui cum cruce et
 thuribulo de more portabantur accensi, inter
 pluviarum effusiones et ventorum turbines lu-
 men continuum in itinere ministrabant, ut aperte
 ostenderent comitem tam ardue pœnitentem ad
 lucis filios ¹pertinere.

*Quod magister Otho Falcasium regi reconciliare
 studuerit.*

Venit² eodem tempore ad regem Anglorum

¹ *Pertinere.*] His epitaph is
 thus given by Paris :

‘ Flos comitum Willelmus obit,
 stirps regia, longus
 Ensis vaginam cœpit habere
 brevem.’

² *Venit . . . ad regem Anglorum
 magister Otho.*] The substance
 of this chapter is the same with
 what has been before said above
 at p. 107.

A.D. 1226. magister Otho, domini papæ nuntius, petens ex parte ejusdem papæ ut, Falcasio sibi reconciliato, uxorem, terras, possessiones ad integrum ei et omnes redderet res sublatas; cui rex respondit, quod ob prodicionem manifestam ab omni clero et populo regni ab Anglia sententialiter est expulsus perpetuo exilium subiturus, quam sententiam non potuit, nisi vellet venire contra regni antiquas consuetudines, infirmare. Hæc cum audisset magister Otho regem ulterius sollicitare cessavit, et, his ita gestis, misit idem Otho litteras suas ad omnes ecclesias cathedrales per Angliam sive conventuales, exigens procurationes debitas nuntiis Romanis, ita quod nulla procuratio numerum quadraginta excederet solidorum.

*De concilio Bituricensi, cui præsedit Romanus,
Francorum legatus.*

Council of
Bourges.

Hoc eodem tempore venit magister Romanus ad partes Gallicanas a domino papa missus, ut ibi legationis officio fungeretur; quo cum pervenisset, fecit convocare regem Francorum cum archiepiscopis, episcopis et clero Gallicano ad concilium, cum comite Tholosano, pro quo specialiter ad partes illas missus fuerat, sicut sequens relatio declarabit. ¹Convenerunt igitur ad Bituricam civitatem ad concilium Lugdoniensis, Remensis, Rothomagensis, Thuronensis, Bithuricensis, Auxianensis archiepiscopi, Burdegalensis vero Romæ fuit et Narbonensis ecclesia vacabat. Convenerunt igitur novem provinciarum suffraganei circiter centum, cum abbatibus et

¹ *Convenerunt.*] Compare Gesta Ludov. VIII. Rec. des Hist. xvii. p. 309. It was held on the feast of S. Andrew (30 Nov.), accord-
ing to the author of the Chron. Turonens. Martene; Ampl. Collect. tom. v. col. 1067.

prioribus et singulorum procuratoribus capitulorum, mandatum summi pontificis audituri; sed, quoniam Lugdunensis archiepiscopus vendicabat sibi primatiam super archiepiscopum Senonensem, et Rothomagensis super Bithuricensem, Auxianensem, Narbonensem, et eorum suffraganeos, timebatur de discordia, et ideo non fuit sessum quasi in concilio, sed ut in consilio. Quibus sedentibus et lectis in publico legationis literis, apparuerunt comes Tholosanus ex una parte et Simon de Monte-forti ex altera, qui petiit sibi restitui terram Reimundi comitis Tholosani, quam dominus papa et rex Francorum Philippus sibi et patri suo contulerunt, exhibens supra donatione facta utriusque, papæ scilicet et regis, munimenta; addiditque, comitem Reimundum abjudicatum fuisse Romæ in concilio generali propter hæresin, ad minus a parte majori terræ quam nunc tenet. E contra, comes Reimundus obtulit se facturum erga regem Francorum et ecclesiam Romanam quicquid facere deberet pro hæreditate sua. Tunc cum peteret pars adversa ab eo, ut subiret iudicium duodecim parium Galliaë, respondit Reimundus, ‘Recipiat rex homagium meum et paratus sum subire, quia forte aliter non haberent me pro pari.’ Cumque hinc inde fuisset plurimum altercatum, præcepit archiepiscopis singulis legatus tunc præsentibus, ut convocatis seorsum unusquisque suffraganeis cum eis deliberarent super negotio præfato et traderent legato consilium suum redactum in scripto; quo facto, legatus excommunicavit omnes qui super hoc sua consilia revelarent, dicens se ea velle domino papæ significare et Francorum regi ostendere.

A.D. 1226.
Council of
Bourges.

*Quod legatus dedit procuratoribus in dolo licentiam
recedendi.*

A. D. 1226.
Council of
Bourges.

Post hæc legatus dedit in dolo procuratoribus capitulorum licentiam ad propria revertendi, retentis tantum archiepiscopis, episcopis et abbatibus et simplicibus prælatis; unde non immerito timuerunt, ne procurata eorum absentia, qui majoris prudentiæ erant et experienciæ, et præ multitudine potentiores ad contradicendum, aliquid statueretur in præjudicium absentium prælatorum. Quocirca dicti procuratores post deliberationem diutinam miserunt ad legatum procuratores metropolitanarum ecclesiarum, qui coram eo hujusmodi allegaverunt, ‘ Domine, audivimus quod habetis literas speciales a curia Romana de exhibendis præbendis in omnibus ecclesiis conventualibus sive cathedralibus; quocirca multum miramur, quod non in hoc consilio proposuistis eas, nobis audientibus, quos specialiter tangunt. Unde rogamus in Domino, ne istud scandalum oriatur per vos in ecclesia Gallicana, scientes, quod sine maximo scandalo et inæstimabili damno non posset hic ad effectum perducii; quia, esto quod aliquis assentiret, nullus esset ejus assensus in rebus, quæ omnes tangunt, cum fere omnes majores, et generaliter omnes subditi, necnon et ipse rex et omnes principes parati sunt contradicere et resistere usque ad capituli expositionem et omnis honoris privationem, præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum subversio regni et ecclesiæ generalis. Ratio autem nostri timoris est, quod cum cæteris regnis non habuistis sermonem, et quibusdam episcopis præcepistis et abbatibus, ut, cum præbendæ vacaverint, ad opus domini papæ reservent.’

*Quod legatus a prælatis exegit duas præbendas dari
ecclesiæ Romanæ.*

His auditis, cum niteretur legatus persuadere ut omnes consentirent, ostendit tunc primo domini papæ authenticum, in quo exegit a singulis ecclesiis cathedralibus duas præbendas, unam a capitulo et alteram ab episcopo; et in cœnobiis similiter, ubi sunt diversæ portiones, abbatis scilicet et conventus, duas exegit ecclesias, unam ab abbate et aliam a conventu; æquali facta distributione bonorum suorum, a conventibus quantum pertinet ad unum monachum, sicut ipse interpretatus fuerat legatus, et ab abbate tantundem. Tunc allegavit commoda quæ possent inde provenire, illud videlicet, quod amoveretur scandalum a Romana ecclesia, quæ mater est omnium ecclesiarum, concupiscentia scilicet, [quæ] radix est omnium malorum, cum nullus pro aliquo negotio in curia Romana faciendo aliquid offerret vel aliquis oblata reciperet.

A.D. 1226.
The pope
demands two
prebends
of each
cathedral.

Objectiones procuratorum contra exactiones prædictas.

Ad hoc respondit procurator archiepiscopi Lugdunensis, ‘Domine, nullo modo volumus esse sine amicis in curia et largitate donorum.’ Alii æque procuratores sua incommoda allegabant, damna scilicet rerum, consiliorum, auxiliorum, obsequiorum, in hunc modum; ‘Erit enim in qualibet diœcesi, vel ad minus in provincia, nuntius unus continuus, procurator Romanus, qui non vivet de proprio, sed graves exactiones et procuraciones exigit ab ecclesiis majoribus et forte minoribus, ut nullus remaneat impunitus, nomenque procuratoris habens legati officio fungetur.’ Item dixerunt, imminere turbationes capitulorum, forte enim demandaret papa, cum vellet, procuratori

Objections
tendered by
the proctors.

A. D. 1226.

suo, vel alii, ut vice sua interesset electionibus, qui eas turbaret; et sic lapso tempore devolveretur electio ad curiam Romanam, quæ in omnibus vel pluribus ecclesiis Romanos poneret, vel tales qui eis plurimum essent devoti; et sic nullæ essent partes indigenarum prælatorum vel principum, cum multi sint viri ecclesiastici, qui potius curiæ Romanæ quam regi vel regno providerent. Item addiderunt, quod, si proportionaliter fieret bonorum distributio, omnes in curia fierent divites, cum multo plus essent recepturi quam rex proprius; et sic majores non solum divites, sed et ditissimi, fierent. Cum igitur vermis divitum sit superbia, majores vix causas audirent, sed eas in immensum differrent, et minores scriberent inviti; cujus rei experimentum in evidenti est, quia et modo negotia protrahunt, etiam post percepta obsequia et securitatem percipiendi; et sic periclitaretur justitia, et deberet conquerentes mori in januis Romanorum tunc plenissime dominantium. Item, cum vix possibile sit fontem cupiditatis desiccari, quod nunc faciunt per se, tunc facerent per alios, et suis multo majora quam nunc dari munera procurarent, modica enim nulla sunt in conspectu divitum cupidorum. Item, multæ divitiæ facerent cives Romanos insanire, et sic inter diversas parentelas tantæ orirentur seditioes, quod posset timeri totius excidium civitatis, cujus etiam nec modo est expers omnino. Item dixerunt, quod, licet se obligarent qui modo præsentibus sunt, id non susciperent eorum successores nec illam obligationem ratam haberent. Novissime autem sic negotium concluderunt, 'Domine, moveat vos zelus universalis ecclesiæ et sanctæ sedis Romanæ, quia, si omnium esset universalis oppressio, posset timeri ne immineret generalis

discessio, quod Deus avertat.' His auditis, re- A. D. 1226.
 spondit legatus, ut videbatur, plurimum commo-
 tus in bono, se cum esset in curia nunquam huic
 exactioni consensisse, et ipsum literas accepisse
 postquam Galliam fuerat ingressus, et se mul-
 tum super hæc doluisse; addidit etiam, super
 hæc quicquid præcepit, se tali conditione, licet
 tacita, intellexisse, si imperium et alia regna
 consentirent; adjunxit insuper, se nihil amplius
 super hæc attemptaturum donec per regna alia
 prælati consenserint, quod credidit provenire non
 posse.

Quod magister Otho Romanam invitatus redierit.

Eodem anno, cum magister Otho, domini papæ Otho, the
legate, leaves
England.
 nuntius, tempore Quadragesimali ad Northan-
 humbriam profecturus et procuraciones deside-
 ratas exacturus, Norhamtonam usque pervenis-
 set, venerunt ad eum, Cantuariensi archiepiscopo
 procurante, literæ domini papæ, in quibus con-
 tinebatur expressum, ut statim visis literis Ro-
 mam veniret, ejus potestate penitus enervata.
 Obliquo igitur oculo literis inspectis, demisso
 vultu eas projecit in ignem, atque illico pro-
 posito mutato, clitellis vacuis confusus ab Anglia
 recessit; injuncto Stephano, Cantuariensi archi-
 episcopo, sicut erat in literis domini papæ ex-
 pressum, ut, convocatis rege et omnibus Angliæ
 prælatis, responsum eorum super negotio, pro
 quo idem Otho missus fuerat, domino papæ
 transmittere non omittat. Magistro igitur Othone
 Angliam a tergo salutante, Stephanus, Cantu-
 ariensis archiepiscopus, vocatis ad concilium
 apud Westmonasterium post Pascha cunctis,
 quos negotium tangebatur, recitari fecit literas
 suprascriptas de beneficiis Romanæ ecclesiæ con-
 ferendis coram rege et prælatis Angliæ, qui ad

A. D. 1226. ejus vocationem plene convenerant; sed, illis auditis ac diligenter intellectis, singuli singulos ad risum movebant super concupiscentia Romanorum, qui illud morale non intelligunt, videlicet,

‘ Quod¹ virtus reddit, non copia, sufficientem;
Et non paupertas, sed mentis hiatus, egentem.’

Tunc rex, convocatis seorsum prælatis et quibusdam magnatibus, hoc archiepiscopo dedere responsum; ‘Ista,’ inquiunt, ‘quæ suadet nobis dominus papa, universam Christianitatis latitudinem respiciunt; et quoniam nos quasi in extremis orbis constituti sumus partibus, cum viderimus qualiter cætera regna erga tales se haberint exactiones, dominus papa, cum ab aliis regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet aliis promptiores.’ Et, his dictis, concessa est omnibus licentia recedendi.

*Quod motio magna facta est super comitem
Tholosanum.*

Crusade
against the
count of
Thoulouse.

Per idem tempus facta est prædicatio in partibus Gallicanis a legato Romano generaliter, ut omnes, qui possent arma movere, se cruce signarent super comitem Tholosanum et populum ejus, qui omnes hæretica fœditate dicebantur infecti. Ad ejus quoque prædicationem multitudo maxima prælatorum et laicorum crucis signaculum susceperunt, plus metu regis Francorum vel favore legati, quam zelo justitiæ, inducti; videbatur enim multis abusio, ut hominem fidelem Christianum infestarent, præcipue cum constaret cunctis eum in concilio nuper apud civitatem Bituricam habito multis precibus persuasisse legato, ut veniret ad singulas terræ suæ

¹ *Quod virtus reddit.*] ‘Quod facit virtus’ in MS.

civitates inquirens a singulis articulos fidei, et, A.D. 1226.
 si quempiam contra fidem inveniret sentientem catholicam, ipse secundum iudicium sanctæ ecclesiæ justitiæ ex eis plenitudinem exhiberet, et, si civitatem aliquam inveniret rebellem, ipse pro posse suo eam cum habitatoribus suis ad satisfactionem compelleret; pro se ipso autem obtulit, si in aliquo deliquit, quod se fecisse non recolit, plenam Deo et sanctæ ecclesiæ satisfactionem ut fidelis Christianus, et, si legatus vellet, etiam fidei examen subire. Hæc quoque omnia legatus contempsit, nec potuit comes catholicus gratiam invenire, nisi pro se et hæredibus suis hæreditatem suam deserens abjuraret. Rex vero Francorum ad ejusdem legati exhortationem cruce signatus noluit expeditionem bellicam promovere, nisi literis prius a domino papa impetratis ad regem Anglorum inhibitoriis, ¹ne sub pœna excommunicationis regem Francorum inquietaret, vel arma contra eum moveret, de aliqua terra quam in præsentī possidebat sive juste sive injuste, dum idem rex esset in servitio suo et ecclesiæ Romanæ ad exterminandum hæreticos Albigenses et eorum fautorem et complicem comitem Tholosanum; sed eidem regi, ad exaltationem fidei, consilium et auxilium impendere non tardaret. Et, his ita gestis, ²rex Francorum Lodowicus et legatus omnibus cruce signatis diem statuerunt peremptorium, ut in ascensione Domini apud Lugdunum cum equis et armis sub pœna excommunicationis venirent, ipsos ad expeditionem propositam secuturi.

¹ Ne . . . inquietaret,] wanting in C.

Compare Hist. Albigensium, auct. Gul. de Podio Laurentio, Rec. des Hist. tom. xix. p. 216, seqq.

² Rex Francorum Lodowicus.]

*Quod rex Anglorum de transfretando propositum
mutavit.*

A.D. 1226.
Conduct of
Henry.

Rex Anglorum interea, qui ardenti desiderio sitiēbat ad partes transmarinas hostiliter transfretare, convocatis consiliariis suis, fecit recitari literas sibi a domino papa transmissas, quārens ab eis consilium, quid super tali inhibitione sibi foret agendum. Placuit itaque praelatis et magnatibus omnibus, ut differretur negotium desideratum, donec constaret de rege Francorum, qui tam difficile opus et propositum habebat adeo sumptuosum, quem res esset exitum habitura. Erat igitur rex Anglorum de fratre suo Richardo, qui tunc in Wasconia bellicas agebat expeditiones, valde sollicitus, supra modum ad ipsum desiderans transfretare; sed, dum rex circa fratrem et de ejus subventionē satis curiosus existeret, venerunt nuntii ejus ad regem cum literis, dicentes ipsum sanum esse et incolumem et quod omnia sibi prospere succedebant. Erat autem tunc inter regis consiliarios magister Willelmus, cognomento Pierepunt, in arte peritus astronomiæ, qui constanter coram rege affirmabat, quod, si rex Francorum inchoatam expeditionem exsequendam assumeret, vel nunquam vivus rediret, aut maximam sui et rerum suarum suorumque omnium confusionem subiret. Rex autem, ex his quæ audierat exhilaratus, suorum consilio adqueivit.

De morte Richardi, Dunelmensis episcopi.

Death of the
bishop of
Durham.

Eodem anno Richardus de Marisco, Dunelmensis episcopus, pro turpissima quam agebat contra monachos suos causa, ad diem Londoniis constitutum cum tumultu valido reboantium legistarum properans, apud burgum sancti Petri

in abbazia hospitatus est; ubi, post splendidam A.D. 1226. refectionem cum nocte sequenti lecto sese recepisset, clerici ejus, mane facto et sole jam in altum vergente, thalamum ejus intrantes et illum excitare volentes invenerunt eum mortuum et omnino extinctum, qui maxima confusione stupefacti celaverunt mortem ejus die illo usque ad vesperam, eo quod absque confessione et viatico exspirasset; deinde vero casum miserabilem priori et conventui indicantes, fabricata cum festinatione lectica, corpus sepeliendum ad Dunelmensem ecclesiam detulerunt. Obiit autem primo die mensis Maii, postquam vixerat in episcopatu circiter annis ¹novem. De hoc quoque episcopo non credimus fore tacendum, quod circa biennium ante mortem ejus, rex quondam Anglorum Johannes apparuit in visione nocturna cuidam monacho de sancto Albano apud Thineumam tunc commoranti, qui familiaris fuerat regibus Anglorum, tam regi Richardo quam huic Johanni, ita quod in eorum negotiis exsequendis aliquando Romam, aliquando in Scotiam, et ad alia loca plurima missus propensioribus sibi studiis eorundem regum gratiam comparavit. Monacho itaque in lecto quiescente, adstitit ei rex præfatus in vestibus regalibus, de panno scilicet quem imperialem appellant; quem monachus recognoscens, ac memoriter recolens quod mortuus fuisset, sciscitabatur ab eo qualiter se haberet. Cui rex, ‘Ita me,’ inquit, ‘ha-

¹Novem.] Paris inserts his epitaph, as written by a monk of Durham, thus :

Culmina qui cupi	}	tis,	laudes pompasque siti	}	tis.
Est sedata si			si me pensare veli		
Qui populos regi			memores super omnia si		
Quod mors immi			non parcit honore poti		
Vobis præposi			similis fueram bene sci		
Quod sum vos eri		ad me currendo veni			

A.D. 1226.

beo quod nemo pejus, nam hæc mea quæ vides indumenta adeo ardentia sunt et ponderosa, ut nullus qui in seculo vivat illa tangere sufficeret præ ardore vel propter ponderositatem portare, quin protinus moriretur; sed tamen per Dei clementiam spero et gratiam ineffabilem, me quandoque misericordiam adepturum. Quæso igitur obnixius fraternitatem tuam, ut dicas Richardo de Marisco, nunc Dunelmensi episcopo, quod, nisi ante mortem suam vitam correxerit flagitiosam et eam per pœnitentiam et satisfactionem condignam emendaverit, sedes ejus jam parata est in inferno; et, si his dictis tuis et mandatis meis fidem adhibere contempserit, per hæc intersignia omnem deponat ambiguitatem, quod, dum soli essemus in loco illo sibi notissimo, dedit mihi consilium, tam mihi quam sibi nimis damnosum, ut videlicet a monachis Cisterciensibus auferrem lanam suam unius anni, et quod multa alia dedit mihi consilia iniqua, pro quibus nunc perfero inenarrabilia, quæ etiam et illi debentur, tormenta. Quod, si adhuc dubitaverit credere mandatis meis, recolat quod in illo loco et hora eadem dedit mihi lapidem unum pretiosum, quem pro ingenti pecunia comparavit.' Et, his dictis, rex disparuit et monachus stupens evigilavit.

Election of a
successor.

Defuncto itaque Richardo, Dunelmensi episcopo, prior et conventus cum a rege peterent licentiam eligendi pastorem, rex obtulit eis Lucam capellanum suum, multa supplicatione rogans, ut illum reciperent in pastorem. Monachi vero ad hoc responderunt, quod nullum reciperent nisi canonica electione præmissa; rex autem e contra cum juramento affirmavit, ipsos futuros per septennium sine episcopo, nisi præfatum Lucam admitterent ad pontificatus honorem. Conventus vero illum ad tantam dignitatem

indignum judicantes de communi consensu fratrum elegerunt magistrum Willelmum clericum suum, virum literatum et honestum, Wigornensem archidiaconum, et ipsum regi præsentaverunt; quem cum rex, objectis quibusdam frivolis exceptionibus, recusasset, monachi quosdam de conventu Romam miserunt ut electionem factam auctoritate summi pontificis confirmarent. Rex autem, cum talia cognovisset, misit Romam contra monachos episcopum Cestrensem et Lentoniæ priorem, ut eorundem monachorum propositum irritarent; et, sic diu illis altercantibus, negotium dilationem accepit.

Quomodo Lodowicus, rex Francorum, Avinionem obsedit.

Venit interea Dominicæ dies ascensionis, qui fuerat a rege Francorum et legato Galligenis cruce signatis peremptorie constitutus. Rex autem, ad expeditionem necessariis apud Lugdunum rite præparatis, cum exercitu quasi invincibili iter arripuit, sequente legato cum archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prælatis; æstimati sunt autem in exercitu militum et equitum bellatorum ad quinquaginta millia, præter pedites, qui quasi sub numero non cadebant. Legatus autem excommunicavit publice comitem Tholosanum et omnes ejus fautores, et terram illius totam supposuit interdicto. Profectus itaque rex micantibus clypeis et vexillis, cujus progressus adeo erat horribilis, ut castrorum acies ordinata [in provinciam pervenit comitis Tholosani.] ¹Tandem in vigilia Pentecostes omnes

Siege of Avignon.

¹ *Tandem.*] See the account of this siege by an anonymous chronicler of the reign of Louis VIII. Rec. des Hist. tom. xvii, p. 309: see also a letter from the barons in the French army to the emperor Frederic; *ibid.* p. 344.

A.D. 1226.
Siege of
Avignon.

Avinionem venientes, quæ civitas proxima illis erat de potestate comitis supradicti, proposuerunt eam prius impetere et sic terram comitis totam ab initio usque ad finem cum habitatoribus ejus delere; ubi rex et legatus, transitum civitatis in dolo a civibus postulantes, dixerunt se illuc pacifice advenisse, et non ob aliud civitatis transitum postulasse, nisi ut itineris compendium sequerentur. Cives quoque super hæc colloquentes fidem eorum assertionibus non dederunt, dicentes, quod plus in dolo, quam pro viæ compendio, exigebant introitum civitatis. At rex in furorem versus juravit se inde non recessurum, donec comprehenderet civitatem, et, machinis in locis congruis collocatis, jussit urbem acriter infestari. Fit igitur ad civitatem assultus gravissimus, dum petraria, balista, scrofa, catus, arcus, funda, ensis, lancea, scutum, galea, umbo, clava, lorica, sagitta, hinc inde quid valeat, experitur. E contra, civitas, ante dies illos ab hostium cuneis prorsus incognita, fossatis, mœniis, turribus, propugnaculis de foris, intus militibus, servientium millibus, equis et armis, lapidibus comportatis, machinis et repagulis, etiam in victualibus referta, hostium supervenientium non expavit incursum; defensores enim urbis lapides pro lapidibus, tela pro telis, sudes pro sudibus, jacula pro jaculis, animosius remittentes vulnera Galligenis lethifera inferebant.

De mortalitate et fame in obsidione.

Mortality
amongst the
besiegers.

Cumque per tempus plurimum protraheretur obsidio, deficientibus alimentis, periit hominum innumera multitudo; comes enim Tholosanus, ut bellator peritissimus, ante Francorum adventum omnia alimentorum genera, cum senibus,

mulieribus, parvulis, necnon et animalibus cum jumentis, ab eorum præsentia longius removens, omne eis alimentorum genus subtraxit. Nec enim solummodo homines, verum etiam equos exercitus et jumenta fames exstinxit, fecerat namque comes sæpedictus prata arari totius regionis, nec erat jumentis pabuli subsidium, nisi quod ibi delatum fuerat ex partibus Gallicanis; unde, necessitate cogente, multæ legiones armatorum a castris recedentes, ut victualia quærerent hominibus et pabula jumentis, multa repugnantia sibi municipia ceperunt, et multoties a comite Tholosano, qui cum suis erat agminibus in insidiis constitutus, damna non modica pertulerunt. In obsidione vero Galligenis ¹ multa imminebant necis pericula, inter quos fervebant potissimum mortalitas hominum et equorum, tela mortifera et damnosi lapides civium se viriliter defendentium, fames generalis, et præcipue inter pauperes, quibus deerat cum pecunia alimentum; atque præter cætera miseriarum incommoda, quæ sine intermissione grassabantur in populo, oriebantur ex cadaveribus jumentorum et hominum, quæ passim moriebantur, muscæ quædam grossæ et nigerrimæ, quæ inter tentoria, papiliones et umbracula ingerentes dapes inficiebant et pocula, quas cum nemo arcere poterat a calicibus et catinis, mortem Galligenis subitam inferebant. Confusio regem et præcipue legatum invasit, quia, si tanta talisque expeditio infecto recedere negotio cogeretur, opprobrium tam Franci incurrerent quam Romani. Tunc principes exercitus, qui-

A.D. 1226.
Siege of
Avignon.

¹ *Multa imminebant necis pericula.*] ‘Ibidem tamen mortalitate maxima pullulante, de nostris circa duo millia telorum imbribus et lapidum volatu, et infirmitate propria, moriuntur;’ *Rec. des Hist. tom. xvii. p. 309.*

A.D. 1226.
Siege of
Avignon.

bus in tot mortibus longa videbatur mora, minores castrorum cum majoribus ad urbem invadendum sollicitant; unde super pontem quendam, qui ultra Rodanum fluvium se extendit, ad urbem tanta se armatorum copia ingressit, quod vel a civibus, vel etiam præ pondere in eodem pignantium, pons fractus præcipitavit in flumen rapidissimum ad tria millia armatorum. Quid ergo? Vox et exultatio civium, dolor et confusio fit Francorum. Tunc cives, visa opportunitate, dum Franci ad mensam sedentes epulis intenderent et poculis, die quodam exierunt de civitate in fortitudine gravi, et, facto impetu in hostes non præmeditados, ad duo millia ex Francigenis peremerunt, et absque suorum læsione civitatem ingressi tales irruptiones fecerunt in hostes. At rex Francorum animo nimis consternatus jussit interfectos in Rodanum, propter corruptionem, præcipitari, qui aliud cœmeterium in tanta cadaverum multitudine non habebant. Fecerunt præterea inter se et urbem fossatum spatiosum satis et altum, et insuper obsidio a civitate longius arcebatur. Legatus autem et omnis chorus prælatorum comitem Tholosanum et cives cum universo populo regionis, vindictæ genus aliud non habentes, sub anathemate concluserunt.

De morte Lodowici, regis Francorum.

Death of
Louis VIII.

Tunc Lodowicus, rex Francorum, ut pestilentiam effugeret, quæ nimis fervebat in castris, ad quandam abbatiam, Muntpancier appellatam, quæ non multum ab obsidione distabat, se contulit, donec civitas caperetur; ubi venit ad eum Henricus,¹ comes Campaniensis, cum jam

¹ *Henricus, comes Campaniensis.* this time was Theobald VI.; Anselm, ii. p. 840.

dies quadraginta in obsidione peregrisset, petens A.D. 1226. de consuetudine Gallicana licentiam ad propria remeandi. Cui cum licentiam rex vetuisset, respondit comes, quod, factis quadraginta dierum excubiis, ¹non tenebatur, nec voluit, diutius interesse. Rex autem ad hæc nimia succensus ira affirmavit cum juramento, quod, si ita recederet, ipse terram ejus totam incendio devastaret. Tunc comes, ut fama refert, procuravit regi venenum propinari ob amorem reginæ ejus, quam carnaliter amabat, unde libidinis impulsu stimulatus moras ulterius nectere non valebat. Comite igitur taliter recedente, infirmabatur rex usque ad desperationem, et pervagante ad vitalia ²veneno perducitur ad extrema; licet alii asserant, ipsum non veneno, sed morbo dysenterico, exspirasse. Mortuo quoque rege, Romanus qui adfuit apostolicæ sedis legatus, et prælati, qui aderant, ejusdem secreti consilarii, mortem regis celari fecit donec civitas redderetur; quia, si ita solveretur obsidio, magnum inde scandalum oriretur. Finxit ergo legatus et prælati, qui aderant, regem gravi infirmitate detentum, sed ex medicorum judicio cito convaliturum dicebant, denuntiantes principibus legionum, ut urbem viriliter impugnarent. Corpus autem defuncti regis fecerunt multo sale condiri, et in abbatia illa viscera tumulantes reliquum corpus linteamini-

¹ *Non tenebatur.*] Although in ordinary cases the king had no further claim on his vassal for military service beyond forty or fifty days, yet it would appear that on the occasion of a crusade knights were forbidden, without especial leave, to abandon their sovereign; Fr. Translat. Mat. Par. iii. p. 520, *note*.

² *Veneno perducitur ad extrema.*] The French chronicler, above al-

luded to, is silent as to the report that Louis had died by poison; according to him, the event took place after the surrender of Avignon. Wendover's account is, however, borne out by Ricard. de S. Germano, a contemporary historian, whose words are, 'ubi venenatus, ut dicitur, obiit;' Murator. tom. vii. col. 1000. The Annals of Waverley and Dunstable allude to the same report.

A.D. 1226.

bus ceratis coriisque taurinis jusserunt involvi; et sic legatus cum prælatis ad obsidionem reversus est, corpore regis in abbazia sub tuta custodia deputato. Cum igitur vidisset legatus quod nihil in obsidione proficiebant, sed diversis incommodis prorsus deficiebant, de consilio majorum, qui erant in castris, nuntiavit in civitatem, instantius petens, quatenus, accepta securitate pacifice veniendi et revertendi, mitterent duodecim ex majoribus civitatis ad legatum et venirent quantocius de pace et concordia tractaturi.

Quod civitas Avinionis a Francis dolose sit subjugata.

The town of Avignon taken by treachery.

Datis igitur de securitate obsidibus, venerunt ad colloquium legati cives duodecim, et de pacis forma diutius tractantes, persuasit civibus legatus constanter ut se redderent, salvis sibi et suis omnibus possessionibus et rebus cum libertatibus universis, sicut hactenus melius et liberius habuerunt. Ad hæc cives respondententes dixerunt, quod nullo modo se redderent, ut sub potestate viverent Francorum, quorum multoties experti fuerant superbiam et insolentiæ feritatem. Tandem post multas hinc inde disceptationes petivit legatus, ut cum prælatis qui aderant posset ingredi civitatem, ut fidem probaret in ea habitantium, affirmans cum juramento, se non ob aliud obsidionem protraxisse, nisi ut salutem quæreret animarum; addidit etiam, quod clamor infidelitatis, quæ in urbe invaluerat, ad papam ascendit, unde scire desiderabat utrum clamorem opere complevisset. ¹Tunc cives su-

¹ *Tunc cives.*] The French historians are silent as to the treachery asserted in the text to have been practised; in the Waverley Annals it is said, 'Legati apostolici tradiderunt urbem prædicto regi;' p. 190.

per promissione sua fiduciam habentes et de fraude nihil sinistrum suspicantes, sub conditione prædicta, præstito utrinque juramento, concesserunt legato cum prælatis simpliciter et eorum sequelis ingressum urbis; quos dolose, ut prælocutum fuerat, Francigenæ apertis januis violenter subsequentes, spreto turpiter juramento, cives ceperunt et eos vinculis constrinxerunt, et dolosam sic adepti victoriam nobilissimæ civitatis turrets et mœnia confregerunt. Novissime vero legatus, civitate sub Francorum deputata custodia, soluta obsidione, corpus regis defuncti cum prælatorum tumultu Parisius jussit deferri, et in collegio antecessorum suorum more fecit regio sepeliri. Obiit autem rex mense Septembri, ut dicunt, cujus mortem per mensem, et eo amplius, celaverunt. De illis autem, qui ad obsidionem cum rege venerunt, tam de interfectis et in flumine submersis, quam de pestilentia et morte communi defunctis, plus quam viginti duo millia perierunt ibidem, filiis et uxoribus lachrymarum causam et gemitum relinquentes; unde perspicue constare videtur, bellum injuste fuisse susceptum, in quo concupiscentia magis exarsit, quam exterminium hæreticæ pravitatis.

*De coronatione Lodowici, regis Francorum, filii
Lodowici.*

Defuncto itaque Francorum rege Lodowico, Coronation
of Louis IX. regina ejus domina Blanca fecit convocare generaliter archiepiscopos, episcopos, et alios ecclesiarum prælatos cum magnatibus coronam spectantibus, ut venirent ad coronationem Lodowici filii sui et regis defuncti Parisius pridie kalendas Decembris. Sed pars maxima optimatum ante diem præfixum petierunt de consuetudine Gallicana

A.D. 1226.

omnes incarceratos, et præcipue comites Flan-
drensem Ferrandum et Bononiensem Reginal-
dum, a carceribus liberari, qui in subversionem
libertatum regni jam per annos duodecim sub
arctiori custodia in vinculis tenebantur. Petie-
runt insuper quidam eorum terras suas sibi re-
stitui, quas pater ejus Lodowicus et avus illius
Philippus multo jam tempore injuste detinue-
rant occupatas. Adjiciunt etiam, quod nullus de
regno Francorum debuit ab aliquo jure suo spo-
liari, nisi per judicium duodecim parium, nec ali-
quis bello premi, nisi prius denuntietur per an-
num; et, cum hæc omnia sibi fuerint emendata,
tunc primo ad coronationem non tardabunt venire.
Regina vero, de consilio legati, metuens ne mora
periculum pareret, convocato regni clero, et pau-
cis ex proceribus, quos habere poterat, fecit fili-
um suum, puerum scilicet vix decennem, in re-
gem die sancti Andreæ apostoli coronari. ¹Sub-
traxerunt se quidem ab hac coronatione dux
Burgundiæ, comes Campaniæ, comes de Bar,
comes de sancto Paulo, comes Britanniæ, et fere
omnes, ut breviter dicatur, nobiles ad coronam
spectantes, qui sese potius præparaverunt ad
pugnam, quam ad pacis et concordiæ unitatem.

Rex autem Anglorum, audiens dissidium pro-
cerum prædictorum, misit ad partes transmarinas
archiepiscopum Eboracensem Walterum, et Phi-
lippum de Albeneio militem, cum aliis solemnibus
legatis, ad optimates Normanniæ, Andegaviæ,
Britanniæ et Pictaviæ, qui sibi subjici de jure
tenebantur, postulans cum magnis promissionibus

¹ *Subtraxerunt.*] Compare the account in the Chron. Turon. Rec. des Hist. xviii. p. 318; where it is added, that they daily held correspondence with the ambas-
sadors from England, promising to betray the kingdom into Henry's hands. For documents upon these proceedings see Rymer, pp. 183, 184.

quatenus ipsum ad eos venire cupientem fideliter A.D. 1226.
admittere dignarentur.

De morte Falcasii, et de præsagio mortis ejus.

Eodem anno Falcasius exscriptus ab Anglia, Death of
Faulkes de
Breaute. dum omnibus negotiis in curia Romana expeditis ad Angliam properaret reverti, apud sanctum Ciriacum vitam flagitiosam terminavit. Falcasius autem, dum adhuc viveret prædo nequissimus, postquam villam sancti Albani crudeliter spoliaverat, homines quosdam interfecerat, nonnullos captivos abduxerat, et tam ab abbate, quam de villa tota, maximam pecuniæ summam extorserat, ne ipsam abbatiam cum monasterio et villa igne concremaret, contigit ipsum apud sanctum Albanum casu venire, ut cum Pandulpho, Norwicensi episcopo, loqueretur; quem cum vidisset episcopus ad se venientem, audiente ipso abbate et aliis multis, quæsit ab eo, si sanctum Albanum in aliquo offendisset. Cui cum Falcasius respondisset, se in nullo martyrem offendisse, addidit episcopus dicens, ‘Ideo hæc a te quæsi, quia, cum nuper in stratu meo nocte quadam dormirem, vidi per somnium me esse in ecclesia sancti Albani, ubi cum starem ante majus altare, et facta oratione retro aspicerem, vidi te stare in choro monachorum; et, cum aspicerem sursum, vidi lapidem unum de turri magnum et ponderosum cum tanto impetu descendere super caput tuum, quod cum ipso capite tuo corpus totum contrivit, et ita subito evanuisti ac si in terram demersus fuisses. Unde consilium tibi do, quod, si recolis te vel in minimo martyrem offendisse, antequam lapis super caput tuum descendat, sibi et suis omnibus satisfacias competenter.’ Sed miser ille postmodum, cum ab abbate et conventu de suis excessibus veniam postulasset, affirmavit

A.D. 1226. *expresse, quod nullam omnino restitutionem faceret ablatorum; unde in evidenti est, quod illa satisfactio nulla fuit, quia 'non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.'* Lapidem quoque super caput suum descendere sensit, cum in brevi tempore deinceps apud Bedefordiam, post suspensionem fratrum et amicorum suorum, ipse demum pauper exilium subiit et nunc vitam morte misera terminavit. Eodem anno defuncti sunt episcopi, Benedictus Roffensis, et ¹Pandulphus Norwicensis; Pandulpho vero successit Thomas de Blundvilla, clericus de scaccario regis, qui a Stephano, Cantuariensi archiepiscopo, Dominica prima ante nativitatem Domini munus consecrationis suscepit.

Quod rex Anglorum a multis pecuniam extorsit.

A.D. 1227.
The king extorts money from the Londoners, clergy, and others.

Anno Domini MCCXXVII. rex Anglorum Henricus ad natale Domini festum celebravit apud Radingum; et in eisdem diebus natalitiis obiit Willelmus² comes Essexiæ, in dolorem multorum, adolescens strenuus et in donorum largitate satis profusus. Deinde rex Londonias veniens causatus est cives, quod in suum præjudicium dederunt Lodowico, regi Francorum nunc defuncto, in recessu suo ab Anglia quinque millia marcas argenti; unde compulsi sunt iidem cives regi persolvere, cavillatorum consilio, eandem pecuniæ summam. Cepit præterea ab eis quintam decimam partem omnium mobilium suorum et totius substantiæ suæ, sicut ei prius fuerat ab Anglia tota concessum. De Burgensibus autem et Nor-

¹ *Pandulphus Norwicensis.*] An abstract from two letters by Pandulph to Hubert de Burgh is printed in the Appendix to the first General Report from the Commissioners on Public Re-

cords, edit. 1819, vol. i. p. 189.

² *Willelmus.*] William Fitz-Piers, sixth earl of Essex; dying without issue, he was succeeded by his nephew, Humphrey de Bohun, earl of Hereford.

hamtunensibus cepit de auxilio mille libras et A.D. 1227. ducentas, præter quintam decimam, quam generaliter omnes de regno Angliæ persolvebant. Compulsi sunt etiam viri religiosi et clerici beneficiati hanc quintam decimam dare omnium bonorum suorum, tam rerum ecclesiasticarum quam laicarum; nec profuit eis appellatio ad dominum papam interposita, sed, ordine turbato, archiepiscopi et episcopi, auctoritate papali, per censuram ecclesiasticam, quos laica potestas non potuit, ad solutionem omni destitutos solatio compulerunt.

Quomodo rex in concilio apud Oxoniam habito fecit cancellare chartas libertatum.

Eodem tempore rex Anglorum, mense Februario apud Oxoniam concilio congregato, denuntiavit coram omnibus se legitimæ esse ætatis, ut de cætero solutus a custodia regia negotia ipse principaliter ordinaret; et sic qui prius tutorem habuit et rectorem Willelmum Mareschallum dum viveret, et postmodum Petrum, Wintoniensem episcopum, excussit se per consilium Huberti de Burgo, justiciarii regni, de consilio et gubernatione dicti episcopi et suorum, qui regi fuerant prius quasi pædagogi, ita quod omnes illos a curia sua et cohabitatione removit. In eodem itaque concilio idem rex fecit cancellare et cassare omnes chartas de provinciis omnibus regni Angliæ de libertatibus forestæ postquam jam per biennium in toto regno fuerant usitatæ; hanc occasionem prætendens, quod chartæ illæ concessæ fuerant, et libertates scriptæ et signatæ, dum ipse erat sub custodia, nec sui corporis aut sigilli aliquam habuerit potestatem, unde viribus carere debuit, quod sine ratione fuerat usurpatum. Facta est autem super his in con-

Council held at Oxford.

A.D. 1227. cilio ingens murmuratio, et omnes justiciarium hujus perturbationis judicabant auctorem; nam deinceps tanta regi familiaritate conjunctus est, ut omnes regni consiliarios præter ipsum pro nihilo reputaret. Tunc vero denuntiatus est viris religiosis et aliis, qui suis volebant libertatibus gaudere, ut innovarent chartas suas de novo regis sigillo, scientes quod rex chartas antiquas nullius esse momenti reputabat; pro quarum innovatione, non juxta singulorum facultatem taxatio facta est, sed quicquid justiciarius aestimabat solvere sunt coacti.

Quod nuntii regis in Franciam missi inaniter sunt reversi.

Return of
the king's
ambassadors
from France.

Eodem anno, defuncto papa Honorio, Gregorius, ¹Hostiensis episcopus, successit decimo quinto kalendas Aprilis. Per idem tempus, instante solemnitate Paschali, archiepiscopus Eboracensis et episcopus Karleolensis, cum Philippo de Albenio milite, nuntii regis, reversi sunt in Angliam ex partibus transmarinis. Missi quidem erant ad magnates illarum regionum, qui de jure antiquo ad regem Angliæ spectare tenebantur; quibus impositum fuerat ex parte regis, ut blandis exhortationibus cum promissionibus magnis eos inducerent, quatenus dictum regem ad illos venire cupientem reciperent et recognoscerent ut dominum naturalem. Sed, ne diu et inaniter verba protrahere videamur, antequam nuntii regis ad partes illas pervenissent, Francorum rex, matre ejus partes suas interponente, cum baronibus illis pacem fecerat et eorum homagia susceperat, distribuens ipsis affluenter terras et castella ad jus regis pertinentia, faciens sibi de mammo-

¹ *Hostiensis.*] Ugolino, bishop of Ostia, was enthroned in March 1227, and died in August 1241.

na iniquitatis amicos. ¹ Comes vero Britanniae, A.D. 1227. cujus filiam nuntii petebant regi per matrimonium copulandam, nuntiis regis dedit in responsis, quod ipse cum rege Francorum pacis fœdus composuerat, quod nullo modo potuit violare. Nuntii autem jam ad regem reversi quæ facta fuerant per ordinem indicabant. Eodem tempore, mense Maio, Richardus ² frater regis venit in Angliam, qui ab ipso rege et magnatibus regni cum gaudio susceptus est. Et eodem tempore Henricus de Sanfort, Cantuariensis archidiaconus, ad Roffensem episcopatum canonicè electus, a Stephano, Cantuariensi archiepiscopo, munus consecrationis suscepit. Quo etiam anno, nonas Februarii, Hubertus, Angliæ justiciarius, gladio accinctus est a rege Cantiae comitatus.

*Quomodo commoti sunt barones contra regem
Anglorum.*

Tempore eodem, septimo idus Julii, orta est discordia inter regem Anglorum et fratrem ejus Richardum, Cornubiæ comitem, hac de causa; Rex Johannes, hujus regis pater, adhuc vivens, quoddam dederat manerium Waleranno Teutonico, tunc de Berehamstude castellano, ad Cornubiæ perti- Quarrel of the king with his brother Richard, earl of Cornwall. nens comitatum. Audiens autem comes Richardus, qui nuper venerat de partibus transmarinis, quod manerium illud ad suum spectabat comitatum, præcepit villam saisiri in manu sua, donec sibi constaret, quale jus inde Walerannus haberet; cumque præfatus Walerannus hæc a referentibus

¹ *Comes vero Britanniae.*] The anonymous writer of the Chronicle of Tours relates that the earls of Bretagne and Marche went to Vendôme and did homage before the legate on the 16th of March; Rec. des Hist. tom. xviii. p. 319.

² *Frater regis;*] ‘prius concessis treugis a rege Franciæ,’ Chron. Dunst. p. 167; see the conditions of the treaty in Richard’s letters patent, printed in Rymer, i. p. 186.

A. D. 1227.
 Quarrel of
 the king with
 his brother
 Richard.

cognovisset, venit cum festinatione ad regem, de fratre suo Richardo querelam deponens. Tunc rex fratri suo literatorie nuntiavit, quatenus confestim visis literis manerium redderet Waleranno. Richardus autem, literis inspectis, cum festinatione venit ad regem, ostendens sine aliquo advocato, rationabiliter similiter et eloquenter, ad jus suum manerium pertinere, unde paratus fuit curiæ regiæ subire iudicium et magnatum regni. Rex vero et justiciarius, audientes nominare magnates, maxima sunt indignatione succensi; unde rex voce tumultuosa et nimis indiscreta fratri suo præcepit, ut incontinenti manerium Waleranno redderet, aut a regno Angliæ non rediturus exiret. Ad hæc comes constanter respondit, quod nec Waleranno jus suum redderet, nec sine iudicio parium suorum a regno exiret; et, his dictis, comes ad hospitium suum cum festinatione perrexit. Tunc justiciarius, ut dicitur, metuens ne comes pacem regni turbaret, dedit regi consilium, ut nocte sequenti fratrem suum sopore depressum a militibus armatis faceret comprehendi, et, ut diuturna pace frueretur, sub arcta custodia deputaret; sed comes Richardus ab amicis præmunitus ab urbe festinanter cum uno tantum equite clam recessit, nec prius frænum cohibuit donec Radingum usque pervenit. Commilitones autem ejus ipsum mane sequentes in loco sibi condicto dominum suum sanum et hilarem receperunt. Tunc comes versus Merlebergiam iter dirigens invenit ibi Willelmum Mareschallum amicum suum et sacramento confœderatum, omnia ei quæ sibi acciderant indicavit; et inde simul ad comitem Cestriæ profecti ei rem gestam per ordinem retulerunt; qui simul ut erant omnes conjurati, exercitum grandem literis discurrentibus congerentes, convene-

runt in brevi apud Stanfordiam cum equis et armis comes Cestrensis Ranulfus, comes Willelmus Mareschallus, comes Richardus frater regis, comes Gloverniæ Gilebertus, comes Warenniæ Willelmus, comes Herefordiæ Henricus, comes [de] Ferrariis Willelmus, comes Warewicensis Willelmus, cum baronibus multis et ingenti multitudine armatorum, significantes regi cum minis ampullosis, ut hanc injuriam fratri suo illatam confestim emendaret, cujus transgressionis culpam non regi, sed justiciario, imputarunt. Ad-diderunt insuper, regi denuntiantes atrociter, ut chartas, quas nuper apud Oxoniam cancellaverat, de libertatibus forestæ, sibi absque dilatione restitueret sigillatas; sin autem, ipsi illum gladiis discurrentibus compellerent, ut sibi super his satisfaceret competenter. Tunc rex statuit illis apud Norhamtonam tertio nonas Augusti diem, ut ibi faceret eis plenam rectitudinem exhiberi. Partibus igitur apud urbem præfatam die statuto convenientibus, rex, magnatibus ad hoc instantibus, dedit fratri suo dotem totam matris suæ comiti Richardo, addens ei terras omnes quæ ad jus comitis Britanniæ pertinebant in Anglia, cum suis omnibus terris, quæ fuerant comitis Bononiæ nuper defuncti; et sic pacifice ad propria recesserunt.

A. D. 1227.
Quarrel of
the king with
his brother
Richard.

Eodem anno heremita quidam in Alpibus ha-
bitans transmarinis, dum psalterium suum de
more quodam die ruminaret, cum venisset ad
psalmum 'Exsurgat Deus,' invenit subito psal-
mum deletum, et in loco psalmi hæc verba in-
scripta, 'Excitabitur Romanus contra Romanum,
et Romanus Romano substituetur; Romæ alle-
viabuntur virgæ pastorum, et solatium erit in
otio; turbabuntur seduli et orabunt, et in la-
chrymis multorum erit requies; humilis alludet

Legend.

A.D. 1227. furibundo, et favor exstinguens palpabitur; novus grex serpet ad tumulum, et qui mundantur in nemore tenui cibo cibabuntur; frustrata est spes sperantium et requies consolantium, in quam sperabant fiduciam; qui in tenebris ambulant ad lumen redibunt, et quæ diversa erant per diversa consolabuntur; non modica incipiet plure nubes, quia natus est immutator sæculi; consurget favor contra simplicem, et simplicitas attenuata spirabit; decus in dedecus commutabitur, et gaudium multorum in luctum.' Hujus autem prophetiæ interpretationem sequens rerum eventus luce clarius declarabit, si sollicite indagentur.

Quomodo hoc tempore facta est motio magna in opus crucis.

Progress of
the crusades.

Eodem anno, in fine mensis Junii, facta est motio maxima in opus crucis per orbem universum cruce signatorum, quæ adeo fuit numerosa, ut ex solo Anglorum regno plusquam quadraginta millia proborum hominum, præter senes et mulieres, profecti referantur. Hoc enim confessus est magister Hubertus, unus ex prædicatoribus in Anglia, asserens veraciter tot in suo rotulo conscripsisse. Qui omnes, et præcipue pauperes, in quibus divina voluntas quiescere solet, cum tanta devotione opus crucis assumpserunt, ut sibi inde procul dubio acquirerent favorem tonantis, quod signis constat evidentibus declaratum; siquidem in nocte nativitatis beati Johannis Baptistæ ostendit se Dominus in firmamento crucifixum, quod perspicue apparuit in cruce lucidissima corpus Dominicum clavis et lancea perforatum necnon cruore respersum, ut fidelibus suis patenter ostenderet Salvator mundi ex hac populorum devotione se fuisse placatum. Hanc quoque vi-

sionem, cum multis aliis, vidit mercator quidam, A. D. 1227. qui piscem in rheda tulit ad vendendum, non longe a vico qui Wxebregge nuncupatur; qua insolita visione, splendore quoque perterritus et quasi in extasi raptus, stetit attonitus, et quid ageret ignorabat. Filius vero hominis illius, quem unicum habuit socium, patrem confortans hortatur, ut rhedam sistat et Dominum glorificet, qui sibi talem dignatus est ostendere visionem. In crastino vero, et singulis postea diebus, ubicumque piscem suum venalem exposuit, visionem cælestem, quam viderat, omnibus aperte prædicavit, adhibito filii sui testimonio; unde sicut multi dictis eorum fidem adhibuerunt, ita nonnulli contempserunt, donec per similes visiones et assiduas, quæ eodem tempore multis in locis diversis apparuerunt, ad credendum inducti sunt, in quibus ipse Crucifixus cælum reserare dignatus est et gloriam suam mirabiliter cum immenso lumine incredulis revelare. Inter alios autem, qui de regno Angliæ exierunt in opus Crucifixi, iter arripuerunt viri venerabiles, Petrus Wintoniensis et Willelmus Exoniensis episcopi, qui peregrinationis suæ votum fere per quinquennium laudabiliter compleverunt.

*Quomodo negotium crucis fuerit hoc tempore
prosperatum.*

Hoc igitur negotium crucis, qualiter in hac motione sit prosperatum, in his sequentibus literis, quas papa Gregorius omnibus Christi fidelibus direxit, ostenditur evidenter: ‘Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus Christi fidelibus salutem, et cætera. Noverit universitas vestra, nos de partibus transmarinis suscepisse literas sub hac forma; G[eroldus], miseratione divina patriarcha Hierosolymitanus, humilis et indignus

Progress of the crusade, in a letter from the patriarch of Jerusalem.

A.D. 1227.
The patri-
arch's letter
on the
crusade.

apostolicæ sedis legatus P. Cæsariensis, N. Nazarenensis, et N. Narbonensis, archiepiscopi, P. Wintoniensis et W. Exoniensis episcopi, Hospitalis sancti Johannis, domus militiæ Templi et Hospitalis Teutonicorum, magistri, omnibus has literas inspecturis in Domino Jesu Christo salutem. Universitati vestræ necessitatem nostram instantissimam, et Jesu Christi, qui pro universis fidelibus sanguinem suum fudit, negotium, cogimur intimare. Non enim absque intimantis fervore ac multiplici lachrymarum effusione accidit, quod, sicut sperabamus communiter, in passagio Augusti nuper præteriti, serenissimus vir dominus imperator,¹ ut promiserat, in Syriam non transivit. Quo audito, illi qui jam adventum ejus prævenierant peregrini in eisdem partibus, audientes, quod dictus imperator non venerat in passagio memorato, plus quam quadraginta millia virorum fortium in eisdem navibus, in quibus transierant, redierunt, magis in homine quam in Domino confidentes. Ibi tamen post eorum recessum octingenti fere milites remanserunt, clamantes unanimiter et dicentes, 'Vel treugas rumpamus, vel communiter recedamus;' qui non sine magna difficultate detenti hac occasione fuerunt, quia vir nobilis dux de Lemburgo ex parte domini imperatoris erat exercitui præferendus. Habito igitur concilio virorum prudentium, et præcipue domus Hospitalis et Templi ac Hospitalis Alemannorum, de treuga rumpenda, præfatus dux faceret quod Christianitati ac terræ sanctæ videretur potius expedire; sicque accidit,

¹ *Imperator.*] Upon the reasons alleged for the emperor's delay in fulfilling his promise, see Guil. Tyr. Continuat. in Martene et Durand. Vett. Scriptt. v. col. 697; Raynald. ad an. 1227, § 27; and

Sanutus, p. 211. Fuller has also two chapters upon the character of Frederic and his quarrel with the pope; Holy Warre, iii. §§ 29, 30.

quod dux, requisitis super hæc consiliis et re-
ceptis, die quodam specialiter ad hoc assignato
comparuit coram nobis et quibusdam nobilibus
terræ illius, ubi proposuit publice quod vole-
bat treugam infringere, et, qualiter utilius ac
melius in hac parte valeret procedere, ipsorum
auxilium et consilium implorabat. Verum cum
ipsi duci et quibusdam consiliariis suis diceretur,
quod treugam rumpere periculosum esset, et, cum
fuisset juramento firmata, penitus inhonestum,
responderunt, quod dominus papa excommunica-
verat omnes cruce signatos, qui in isto passagio
non transirent, qui sciebat adhuc treugam per
biennium duraturam; ac per hoc intelligebant,
quod volebat treugam non servari, nec ipsi pere-
grini ibi remanere volebant aliquatenus otiosi.
Erant et multi qui dicebant, quod, si contingeret
recedere peregrinos, post recessum eorum in eos
insurgerent Saraceni, treuga non obstante. Mo-
vit præterea quosdam, quod Coradinus cum do-
minis de Haman et de Camele et de Halaph
gravissimam haberet guerram, unde plus solito
timet, ne ipsa treuga a Christianis frangatur;
quod si fieret, credebatur quod Coradinus, cum
videret guerris se undique coarctatum, deberet
inde verisimiliter procedere verbum pacis. Ha-
bito igitur super his longo deliberationis tractatu,
tandem unus fuit omnibus spiritus et vox una in
sanctam tendere civitatem, quam dominus Jesus
Christus proprio sanguine consecravit; et, ut
facilior ad eam haberetur accessus, fuit com-
muniter ordinatum, ut primo Cæsarea, et deinde
Joppa muniantur, quod ante passagium Augusti
sequentis procul dubio posse fieri sperabatur, et
tunc hyeme sequenti in domum Domini cum ip-
sius adjutorio lætantes valeant proficisci. Fuit
autem hæc publicata provisio extra civitatem

A. D. 1227.
The patri-
arch's letter
on the
crusade.

A.D. 1227.
The patri-
arch's letter
on the
crusade.

Acon, instante festo apostolorum Simonis et Judæ, adstantibus peregrinis omnibus, ubi solemniter est imperatum, ut essent omnes parati in crastino Omnium sanctorum versus Cæsaream profecturi; quod audientes peregrini, qui consilium ignorabant, quod exercitus tractatum haberet, firmatis munitionibus prædictis, in Hierusalem procedendi tanta subito erant devotione succensi, quod excitaverunt oculos ad abundantiam lachrymarum, ut videbatur cuilibet se Spiritus Sancti gratia adeo roboratum, quod unus posset mille, et duo decem millia, superare. Non igitur oportet, ut devotioni vestræ multis supplicationibus insistamus, ubi tantæ necessitatis evidens instantia pro se clamat, sibi que subvenire postulat indilate; quia mora ad se trahit periculum, et festinatio plurimum erit fructuosa. Clamat autem ad singulos Christi sanguis de terra; supplicat parvus et humilis exercitus, sed devotus, sibi celeriter subveniri, sperans in Domino et confidens, quod negotium humiliter inchoatum debeat ipso concedente feliciter terminari. Universi igitur et singuli, qui Christum induistis per fidem, viriliter accingimini ad terræ sanctæ succursum, cum hic causa communis agatur, vestræ scilicet fidei ac totius populi Christiani. Nos enim promotioni hujus negotii, provisorio Domino et auctore, non cessamus intendere, sperantes fiducialiter, quod in manibus fidelium fideliter perseverantium debeat prosperari. Data Laterani, decimo kalendas Januarii, pontificatus nostri anno primo.'

*Qualiter negotium terræ sanctæ pro defectu
imperatoris fuerit impeditum.*

The emperor,
having em-
barked, turns
back.

Imperator autem Romanorum Fredericus, qui cum aliis cruce signatis sub pœna excom-

municationis in hoc passagio præscripto a papa A.D. 1227. terminum habuit, ut vota peregrinationis persolveret, ad ¹mare Mediterraneum veniens cum parvo comitatu naves ascendit; sed postquam per triduum ad terram promissionis tendere videretur, dixit se subita infirmitate præreptum, ita quod maris intemperiem simul et aeris corruptionem non potuit mortis discrimine diutius sustinere, unde retortis velis ad portum, quo mare ingressus fuerat, post tres dies applicuit; et, his ita gestis, peregrini, qui ex diversis mundi partibus ad terram sanctam ipsum prævenerant, sperantes illum ducem habere et defensorem ad crucis inimicos debellandos, cum audissent dictum imperatorem in illo Augusti mensis passagio, sicut promiserat, non venisse, animo nimis consternati in eisdem navibus, in quibus venerant, plusquam quadraginta armatorum millia sunt reversi; quod factum imperatoris damnose nimis redundavit in dedecus et in præjudicium totius negotii Crucifixi. Ob hanc autem causam, juxta multorum opinionem, ostendit se, ut prædictum est, mundi Salvator in cruce clavis confixum et cruore conspersum populo Christiano, quasi singulis et universis super injuria sibi ab imperatore illata querelam deponens.

De morte fratris, qui ordinem Minorum primum instituit.

Circa dies istos frater quidam de ordine Minorum, nomine ²Franciscus, qui illius ordi-

Death of S. Francis.

¹ *Mare Mediterraneum.*] We learn from the letters of Gregory, in Ric. de S. Germano, that Brundisium was the place fixed on for the embarkation; and that whilst there the plague broke out, which carried off the landgrave of Thuringia, Siffrid bishop of Augsburg, and many others; Raynaldi, col. 594.

² *Franciscus.*] For the biographers of S. Francis, enumerated by Wadding and others, see the Act. SS. Octob. tom. ii. p. 545.

A.D. 1227.
 Sketch of
 the life of
 S. Francis.

nis institutor fuisse perhibetur et magister, Romæ mirabiliter ex hac luce migravit. Erat autem Franciscus memoratus generis nobilitate præclarus, sed tamen multo clarior morum probitate refulsit. Hic siquidem, puerilibus annis simpliciter transactis, cœpit de mundi hujus illecebris et rerum temporalium mutabilitate sæpius mente revolvere, et quam nulla sunt, quæ temporaliter defluunt, indesinenter pensare; nam et hoc didicerat in literis et theologicis disciplinis, quibus ab ætate tenera incubuerat usque ad notitiam perfectam, quo ordine rerum labentium mutabilitatem contemneret ac viribus totis ad cælestis regni desiderium suspiraret. Sed quod mente conceperat, ut liberius opere compleret, hæreditatem paternam non modicam cum cunctis seculi oblectamentis despiciens, cucullam et cilicium induit, calceamenta deposuit, in vigiliis et jejuniis carnem maceravit, et, ut spontaneam eligeret paupertatem, nihil omnino proprium habere decrevit; nec etiam ipsam refectionem carnalem, nisi quod de eleemosynis fidelium sub titulo reciperet caritatis, et, si forte post tenuissimam refectionem aliquid superabundaret, nihil in crastinum reservans totum pauperibus erogavit. Vestitus etiam de nocte dormivit, mattam pro stratu cubiculi habuit, saxum capiti pro cervicali supposuit, cuculla solummodo et cilicio, quibus in die vestitus incessit, pro nocturnalibus operimentis contentus. Sicque in præparatione evangelii discalceatus incedens, et vitam apostolicam amplectens, diebus Dominicis ac festivis in ecclesiis parochialibus et aliis fidelium conventiculis officium prædicationis implevit; quod tanto efficacius cordibus audientium imprimere potuit, quanto a carnalibus desideriis et gastrimargiæ

crapulis exstitit alienus. Ut autem vir Dei Francis A.D. 1227. hoc salubre propositum ad effectum perduceret, articulos jam dictos, cum quibusdam aliis, quæ a fratribus illius religionis usque in hodiernum diem strenuissime observantur, in schedula conscriptos sedenti in consistorio Roma papæ Innocentio præsentavit et suam petitionem confirmari a sede apostolica postulavit.

Quomodo dominus papa ordinem prædictum per privilegium confirmavit.

Papa itaque in fratre memorato habitum deformem, vultum despicabilem, barbam prolixam, capillos incultos, supercilia pendentia et nigra diligenter considerans, cum petitionem ejus tam arduam et executione impossibilem recitari fecisset, despexit eum et dixit, ‘Vade, frater, et quære porcos, quibus potius debes quam hominibus comparari, et involve te cum eis in volutabro, et regulam illis a te commentatam tradens officium tuæ prædicationis impende. Quod audiens Franciscus inclinato capite exivit, et, porcis tandem inventis, in luto se cum eis tamdiu involvit, quousque a planta pedis usque ad verticem corpus suum totum cum ipso habitu poluisset; sicque ad consistorium revertens papæ se conspectibus præsentavit dicens, ‘Domine,’ inquit, ‘feci sicut præcepisti; exaudi nunc, obsecro, petitionem meam.’ Quod factum cum papa admirans conspexisset, contristatus est valde quod illum despexisset, atque in se reversus præcepit ut lotus rediret ad eum; quo celeriter a sordibus mundato, reversus est festinanter. Commotus itaque papa super eo petitionem ejus admisit, et per privilegium Romanæ ecclesiæ officium prædicationis simul cum ordine petito ei confirmans cum benedictione dimisit. Deinde

The order of S. Francis confirmed by the pope.

A. D. 1227. famulus Dei Franciscus oratorium in urbe Romana, in quo contemplativos meteret fructus, construens spirituale certamen contra spiritus malignos et carnalia vitia egregius bellator assumpsit.

De prædicatione fratris memorati et fine valde admirabili.

Preaching of
S. Francis.

Franciscus igitur per Italiam totam, et cæteras nationes, et præcipue in urbe Roma, cum officium prædicationis devotus impleret, populus Romanus, totius bonitatis inimicus, prædicationem viri Dei adeo despexit, quod nec ipsum audire, nec sanctis ejus voluerunt exhortationibus interesse. Tandem cum per dies plurimos prædicationem ejus despexit, Franciscus indurationem eorum graviter increpavit, ‘Doleo,’ inquit, ‘multum super miseria vestra, quod non solum me Christi famulum spernitis, verum et illum in me despicitis, quoniam Redemptorem mundi evangelizavi vobis; et nunc recedens ab urbe testimonium illius invoco super desolatione vestra, qui est testis in cælo fidelis, atque in confusionem vestram vado evangelizare Christum brutis animalibus et volatilibus cæli, ut audientes salutifera Dei verba obediant et adquiescant.’ Sicque ab urbe exiens invenit sedentes in suburbio in morticiniis corvos, milvos et picas, aliasque aves multas in aere volitantes, et dixit eis, ‘Præcipio vobis in nomine Jesu Christi, quem crucifixerunt Judæi, cujus prædicationem miseri Romani despexerunt, quatenus ad me accedentes audiatis verbum Dei, in nomine ejus qui vos creavit et in arca Noe ab aquis diluvii liberavit.’ Et continuo ad imperium ejus universa illa avium multitudo illuc accedens circumdedit eum, et facto silentio, omnique garritu de-

posito, per dimidium diei spatium verbis viri Dei intendentes de loco non sunt motæ, sed semper intuebantur faciem prædicantis. Hæc autem res admirabilis cum a civibus Romanis simul et ab intrantibus urbem et exeuntibus comperta fuisset, et per triduum a viro Dei idipsum avibus convocatis replicatum exstitisset, exierunt de civitate clerus cum populo multo introducentes hominem Dei cum veneratione magna in urbem, quorum deinceps corda infructuosa et pertinaciter obdurata oleo prædicationis obsecrantis emolliens in melius commutavit. Cœpit itaque celebre nomen ejus per universos Italiæ fines ita dilatari, quod multi nobiles ipsius exemplum secuti, relicto seculo cum vitiis et concupiscentiis ejus, sese magisterio suo subdiderunt. Crevit igitur in brevi hic ordo fratrum prædicatorum per orbem universum, qui, in urbibus habitantes et castellis, deni et septeni exierunt in diebus illis, per villas et ecclesias parochiales verbum vitæ prædicantes, et turbis agrestibus virtutum plantaria inserentes fructum plurimum cum usuris etiam Domino obtulerunt; nec solum inter fideles semen verbi Dei et rorem doctrinæ cælestis consperserunt, verum etiam ad gentilium regiones et Saracenorum nationes se conferentes perhibuerunt testimonium veritati, inter quos etiam multi ex eis ad martyrii gloriam pervenerunt.

A. D. 1227.
He preaches
to the birds.

De concursu populorum ad obitum fratris sæpe dicti.

Tandem vero, cum amicus Dei Franciscus in urbe Roma simul et terris adjacentibus cum fratribus suis per annos multos evangelium pacis prædicasset, et talentum sibi creditum, ut fœnerator optimus, cum usuris multiplicibus suo largitori restituisset, venit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Christum, et pro mercede

Death of S.
Francis.

A.D. 1227.

laborum acciperet coronam vitæ, quam Deus se diligentibus repromisit. Itaque quinto decimo die ante exitum suum de corpore apparuerunt vulnera in manibus ejus et pedibus sanguinem jugiter emittentia, sicut in mundi Salvatore in ligno pendente apparuerant cum crucifigeretur a Judæis. Latus quoque ejus dextrum adeo apertum et cruore respersum apparuit, ut etiam secreta cordis intima perspicua viderentur. Quid ergo? factus est ad eum concursus hominum utriusque sexus rem tam insolitam admirantium; inter quos etiam ipsi cardinales accedentes sciscitabantur ab eo, quid hæc visio sibi vellet. ‘Hæc,’ inquit, ‘visio in me idcirco ostensa est, quibus mysterium crucis prædicavi, ut credatis in Eum, qui pro mundi salute hæc quæ videtis vulnera in cruce pertulit, et etiam ut me sciatis ejus esse servum, quem evangelizavi vobis crucifixum, mortuum et resuscitatum, et ut, omni ambiguitate remota, in hac fidei constantia usque in finem perseveretis; hæc vulnera, quæ in me ita videtis aperta et sanguine cruentata, statim cum defunctus fuero adeo sana erunt et coherentia, ut carni cæteræ similia videantur;’ qui continuo absque omni corporis angustia et cruciatu carne solutus reddidit spiritum suo Creatori. Quo defuncto, nulla vulnorum prædictorum in latere, vel pedibus ejus sive manibus, [stigmata] remanserunt. Sepulto autem viro Dei in oratorio suo, Romanus pontifex ipsum in catalogum sanctorum admisit, et diem ejus depositionis solenniter instituit celebrari.

De quibusdam novis institutionibus regis Anglorum.

Anno¹ Domini MCCXXVIII. rex Anglorum Henricus festum Dominicæ nativitatis apud Eboracum solenniter celebravit, et protinus inde recedens versus Londoniam recto tramite properavit. In hoc autem itinere mensuras bladi, vini et celiæ falsitatis arguens quædam confregit et comburere nonnulla præcepit, et vasa substituens capaciora panem majoris ponderis fieri fecit, et hujus statuti contemptores pœna gravi pecuniaria mulctari præcepit.

A.D. 1228.
Revision of
the measures
of grain, etc.

Eodem tempore, mense Januario,² Rogerus de Theoneio, vir nobilis et miles strenuus, non longe a Radingo diem clausit supremum; cujus frater major natu Radulphus, qui tunc absens erat, cupiens cum ipso habere colloquium antequam obiret, cum festinatione venit ad eum, sed defuncto fratre, quem multum dilexit, priusquam veniret, nec vocem in illo nec sensum invenit. Radulphus vero de fratris obitu valde contristatus cœpit cum fletu et vociferatione maxima fratrem jam defunctum adjurare, ut fraterno ductus affectu secum loqueretur; cumque coram militibus suis et aliis multis adstantibus clamores et obsecrationes ingeminaret, addidit etiam, quod nunquam deinceps comederet, nisi ipsius colloquio frueretur. Tunc mortuus ille in lecto residens increpavit acriter fratrem, quod spiritum ejus inquietans ad corpus denuo revocasset. ‘Jam,’ inquit, ‘et pœnas vidi malorum et gaudia beatorum, necnon supplicia magna, quibus

Legend
concerning
Roger de
Theoney
and his
brother.

¹ Anno Domini MCCXXVIII.] wanting in C.

² Rogerus de Theoneio.] In the Inquisit. post mortem it is noticed that a Roger de Thony, in the 48th of Henry III., died seised

of lands in Wales, Devonshire, Norfolk (principally), Essex, and Hertfordshire; and in the 5th of Edward I. is recorded the death of Radulphus de Thonny, felo, seised of lands in Hertfordshire.

A.D. 1228. miser ego deputatus sum, oculis meis conspexi. Væ, væ mihi! quare torneamenta exercui et ea tanto studio dilexi? Cui frater, 'Nonne,' ait, 'et tu salvaberis?' Et ille, 'Salvabor,' inquit; 'unum enim opus in honorem perpetuæ virginitatis Mariæ, per quam salvabor, feci.' Cui Radulphus, 'Nunquid supplicia, quibus addictus es, ut dicis, operibus bonis, missis et eleemosynis poterunt mitigari?' Ad hæc Rogerus, 'Poterunt quidem.' 'Et ego,' ait Radulphus, 'tibi in veritate promitto, me pro salute nostra et antecessorum nostrorum domum religionis facturum, quam cum monachis religiosis implevero, pro liberatione animæ vestræ et prædecessorum nostrorum Deum æternaliter invocabunt.' Respondit Rogerus, 'Promissionibus tuis multum indigeo, sed nihil quæso mihi promittas, nisi quod desideras effectu complere.' Et sic fratri cunctisque adstantibus valedicens spiritum denuo exhalavit. Deinde Radulphus frater ejus in eodem anno, sicut promiserat, abbatiam in partibus occidentis regni Angliæ construens monachos Cistercienses imposuit, et locum prædiis et beneficiis non modicis ampliavit.

De translatione Richardi, Saresbiriensis episcopi, ad Dunelmum.

The bishop
of Salisbury
translated to
Durham.

Eodem anno, cassata Romæ electione magistri Willelmi Scoti, Dunelmensis electi, Richardus, Saresbiriensis episcopus, ad eundem episcopatum electus est et translatus; post cujus promotionem canonici Saresbirienses elegerunt magistrum¹ Robertum Bingham, cocanicum suum, in animarum suarum episcopum et pastorem. Quo utique anno decisa est contentio inter monachos Coven-

¹ *Robertum Bingham.*] He | Bath at Wilton, on the 27th of
was consecrated by the bishop of | May; *Annal. Waverl.* p. 192.

trenses et canonicos Lichefeldenses super episcopo eligendo Romæ per sententiam diffinitivam, ita ut deinceps episcopos alternatim eligant, monachi primum, et canonici eo defuncto alterum; hoc tamen observato, ¹ut prior Coventrensis in electione primam semper habeat vocem. In hac autem sententia videtur plurimum juri monachorum fuisse derogatum, qui eatenus semper pontifices elegerant absque canonicorum consensu. Eodem anno imperator Constantinopolitanus humanæ naturæ debitum solvit, filium hæredem² relinquens parvulum et nondum idoneum ad imperii dignitatem.

A.D. 1228.

De sententia in imperatorem lata.

Circa³ dies istos papa Gregorius, cum imperatoris contumaciam, simul et Crucifixi contemptum, ut sibi videbatur, impunitum diutius distulisset, tandem, ne canis videretur latrare non valens, de consilio cardinalium suorum ipsum imperatorem excommunicavit, et latam sententiam per literas apostolicas in diversis mundi partibus publicari præcepit. Inter cæteros autem hujus sententiæ publicatores Stephano scripsit archiepiscopo in hæc verba; ‘Gregorius episcopus Stephano, Cantuariensi archiepiscopo, salutem, et cætera. In maris amplitudine spatiosa navicula Petri posita, vel potius exposita turbinibus tempestatum, sic jugiter procellis et fluctibus agitatur, ut ejus gubernatores ac remiges vix contingat aliquando inter inundantium imbrium angustias respirare; nam, si quandoque prospero

The pope's
censure of
the emperor.

¹ *Ut prior . . . vocem.*] ‘Ita quod prior in electione primam vocem habeat, et decanus secundam;’ Chron. Dunst. p. 168.

² *Hæredem.*] Baldwin the second was only eleven years old when

his brother Robert de Courtenay, the emperor, died. During his minority John of Brienne was appointed to the government.

³ *Circa dies istos.*] Compare Raynaldi, tom. i. pp. 592, seqq.

A.D. 1228.
The pope's
censure of
the emperor.

flante vento plenis velis ad portum tenditur, subito ventus irruens ex adverso, impulsus ab illo cujus halitus ardere facit, ad altitudinem maris et turbulentum profunditatis oceanum navis rapitur, quæ cincta fluctibus mergitur, nec submergitur, quia in ea Dominus residens discipulorum tandem clamoribus excitatur, dum fugat spiritus insufflantes, et mari ventisque imperat, fit tranquillum. Quatuor quidem procellæ quatunt navem istam; nam perfida paganorum turba terram inclytam Christi sanguine consecratam impie detinere contendunt; rabies tyrannorum temporalia rapiens exterminat justitiam et conculcat ecclesiasticam libertatem; hæreticorum insania Christi tunicam scindere nititur et subvertere fidei sacramentum; falsorum fratrum et filiorum dolosa perversitas concutit viscera et latus dilacerat matris suæ. Sicque foris pugnæ, intus timores; extra interficit gladius, et domibus mors similiter intentatur; sicque frequenter fit, quod Christi ecclesia tot angustiis perturbatur; dum alere credit filios, nutrit in sinu ignem, serpentes et regulos, qui flatu et morsu et incendio cuncta vastare nituntur. Hinc est, quod ad monstra hujusmodi perimenda, et expugnandas acies inimicas, ad tempestatum inquietudines mitigandas, apostolica sedes his temporibus cum multa diligentia quendam alumnum, imperatorem videlicet Fredericum, quem quasi a matris utero excepit, uberibus lactavit, humeris bajulavit, de manibus quærentium animam ejus frequenter eripuit, educare studuit, multis laboribus et expensis usque ad virum perfectum perduxit, ad regiæ dignitatis decorem et tandem ad fastigium culminis imperialis provexit, credens illum habere defensionis virgam et baculum senectutis. Ipse autem, dum in Teutonicam se

transtulit ad habenas imperii obtinendas, jocunda, ut credebatur, auspicia, sed verius pericula, matris obtutibus inferebat; nam sponte, non monitu, sede apostolica ignorante, crucem suis affixit humeris, vovens solenniter se in terræ sanctæ subsidium profecturum. Deinde se et alios cruce signatos excommunicari obtinuit, nisi certo proficiscerentur tempore; sed incidenter absolutionem petiit et accepit de parendo super hæc mandatis ecclesiæ, prius præstito juramento. Exuberantem autem gratiam super ipsum apostolica sedes infundens, ut festinantius ad terræ sanctæ transiret subsidium, ipsum contra morem ad coronam vocavit, qui ad hoc non invitatus, sed multiplicatis intercessoribus invitari per magnificos nuntios consuevit; sicque idem sub crucis vexillo usque ad hæc tempora propria negotia plenius et perfectius consummavit. Tandem cum manibus felicitatis recordationis Honorii papæ, prædecessoris nostri, in beati Petri basilica recepisset diadema, de manibus nostris, tunc in minori officio constitutis, crucem resumpsit, voto publice innovato. Plures sub spe sui subsidii ad crucem sumendam induxit, et certum recepit terminum transfretandi. Habito quoque postmodum apud Verulas cum ecclesia Romana colloquio, juravit publice, se in certo termino, a Romana sibi ecclesia præfigendo, et tanquam imperatorem honorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum in colloquio simili duorum annorum transfretandi elegit sibi terminum et præfixit; sicque transiturum, et nobilem mulierem, natam carissimi filii nostri in Christo Johannis regis Hierosolymorum, illustris ipsius regni hæredem, in conjugem recepturum, solenniter præstito juramento spondit; adjungens, quod per hoc ad obsequium terræ sanctæ, non ut cæteri pere-

A.D. 1228.
The pope's
censure of
the emperor.

A. D. 1228.
The pope's
censure of
the emperor.

grini, sed ut Templarii et Hospitalarii, se in perpetuum obligaret. Appropinquante itaque termino prælibato, cœpit excusationes multiples prætere, se ad transitum asserens non paratum; et, ut denuo trinorum sibi daretur terminus annorum, grandia obtulit obsequia terræ sanctæ cum obligationibus satis magnis. Apostolica vero sedes, ne, tantis laboribus exsufflatis et inutiliter sic exhaustis, totum dissolveretur negotium, quod huic principi post Romanam ecclesiam principaliter incumbere, habito plurium episcoporum et aliorum virorum consilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem episcopum, et bonæ memoriæ G. titulo sancti Martini presbyterum cardinalem, ad confirmanda illa, quæ imperator pro crucis obsequio spontaneus promittebat, transmisit. Cumque apud sanctum Germanum cum pluribus Alemanniæ principibus pariter convenissent, imperator propria manu juravit, quod inde ad biennium, id est in passagio Augusti nunc proximo transacto, omni excusatione et dilatione cessantibus, transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum stipendium pro subsidio terræ sanctæ, centum millia unciarum auri, in quinque passagiis tunc proximo futuris, illuc destinaret certis assignanda personis. Et tunc cardinales presbyteri, de imperatoris consensu, in conspectu principum ac populi circumstantis, excommunicationis sententiam publice auctoritate sedis apostolicæ protulerunt, in quam incideret imperator, si forte in aliquo defecerit prædictorum. Obligavit insuper se imperator ad centum che-landras et quinquaginta galeias ducendas et tenendas ultra mare, et quod insuper duobus millibus militum passagium certis terminis largiretur, in animam suam jurari faciens se ista quæ dixi-

mus impleturum, et sponte consentiens in se et regnum suum ferri sententiam si hæc non fuerint observata. Qualiter autem hæc impleverit, advertas; nam cum ad ejus frequentem instantiam multa cruce signatorum millia, per excommunicationis sententiam coarctati, in termino destinato ad portum Brundusii properassent, quia gratiam suam imperator subtraxerat civitatibus fere cunctis in portibus constitutis, et idem a prædecessore nostro ac a nobis frequentius monitus, ut diligenter pararet omnia, et fideliter, quæ sponderat, adimpleret, ipse præmissorum, quæ sedi apostolicæ et cruce signatis per prædicatores et literas suas fecerat de sponsione passagii necessariorum et victus, suæ salutis immemor, tamdiu in æstivi fervoris incendio in regione mortis et aeris corruptela detinuit Christianum exercitum, ut non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium et magnatum, pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus exspiravit, inter quos defecerunt bonæ memoriæ episcopi Andegavensis et Augustensis. Pars vero non modica infirmitate gravata regrediens in viis, in silvis et planitiis, in montibus et speluncis, occubuit jam ex parte. Sane reliqui, vix obtenta licentia, licet galeiæ, chelandræ, ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum et equorum, ut promiserat, non adessent, in festo tamen beatæ Virginis, cum jam temporis instantia immineret ut naves transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt, sed pro nomine Jesu Christi se discrimini concurrentes, ac credentes imperatorem cominus eorum vestigia secuturum. Idem vero, evacuatis promissionibus, ruptis vinculis quibus tenebatur astrictus, calcato timore divino, contempta reve-

A.D. 1228.
The pope's
censure of
the emperor.

A. D. 1228.
The pope's
censure of
the emperor.

rentia Jesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, ac relicto exercitu Christiano, exposita infidelibus terra sancta, devotione populi Christiani abjecta, in suum et totius Christianitatis opprobrium retrorsum abiit abstractus et illectus ad consuetas regni delicias, abjectionem corporis suis frivolis excusationibus, ut dicitur, gestiens palliare. Attendite ergo, et videte, si est dolor sicut dolor sedis apostolicæ, matris vestræ, sic crudeliter et toties deceptæ in filio, quem lactaverat, in quem posuit in hoc facto spei suæ fiduciam, in quem tot beneficiorum abundantiam cumulavit. Dissimulans interim, ne, occasione inventa, se averteret a terræ sanctæ subsidio, exilia præsulum, spoliationes, captivitates et injurias multiples, quas ecclesiis, viris religiosis, clericis irrogavit, et obaudiens querelas multiples pauperum, populorum et nobilium, patrimonii ecclesiæ clamantium contra ipsum, quas in aures Domini Sabaoth credimus introisse. Et quamvis ecclesia Romana tueri debeat filium tanta diligentia educatum et magnificentia exaltatum, nunc ipsum gemit sine Marte victum, absque hoste prostratum, et in suæ confusionis opprobrium tam ignominiose dejectum. Non minus gemit exterminium exercitus Christiani, qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam, quod pars residua bellatorum, exposita maris periculis et fluctibus tempestatum, absque duce, præceptore, et principe ducitur, quo ignorat, modicum profectura terræ sanctæ utilitatibus; quibus debitæ consolationis solatium et opportunæ subventionis auxilium, impredientibus jam maris frementis procellis temporisque angustia, juxta votum non possumus ministrare. Gemit insuper excidium sanctæ terræ, quam

nunc eripi de manibus paganorum sperabamus ;
 quam olim, ut asseritur, recuperasset Christianus
 exercitus per concambium Damietæ, nisi semel
 eis et iterum imperialibus fuisset literis inter-
 dictum ; qui etiam non fuisset in manibus pa-
 ganorum inclusus, si galeiarum subsidium, ut ex
 parte sua promissum fuerat et fieri poterat, sub-
 secutum esset, nam Damietta, quæ, ut astruitur,
 suo tradita nuntio et aquilis imperialibus insig-
 nita, eodem die crudeliter spoliata, et per suos
 deteriorata viliter et ignominiose, per ipsos fuit
 infidelibus restituta. Recurrit etiam ad redi-
 viva suspiria, et amissionem præscriptam, reco-
 lens Damietæ tot laborum angustias, tot expen-
 sarum dispendia, tot mortes fidelium, et tot ex-
 cursus temporum, quæ inutiliter affluerunt, sub-
 ortis lachrymis flere non cessat ; nec est qui con-
 soletur eam ex omnibus caris ejus, nec abster-
 gat lachrymas a maxillis. Cum ergo vox ejus in
 Rama jam sonuerit, et Rachel non solum filios,
 sed hæc omnia irremediabili lamentatione deplo-
 ret, quis fidelium a gemitibus et suspiriis conti-
 nebit ? Quis filiorum, cernens aquarum profluvia
 de matris oculis prodeuntia, lachrymas non ef-
 fundet ? Quis matris non compatietur angustiis,
 nec immensis ejus doloribus condolebit ? Quis
 fidelium propter hæc non ardentius inflamma-
 bitur ad subsidium terræ sanctæ, ne Christi-
 ana juvenus ex insperato casu penitus prostra-
 ta videatur et ignominiose animo consternata ?
 Nonne viri cordati et filii Jesu Christi debent
 ad subsidium terræ sanctæ tanto fortius animari,
 quanto ignominiam amplius resultare conspiciunt
 ex insperata ruina in Patrem et filium, in Re-
 demptorem atque redemptos, in Christum et po-
 pulum Christianum ? Nos igitur hoc negotium
 tanto ardentius resumere affectamus et profun-

A. D. 1228.
 The pope's
 censure of
 the emperor.

A.D. 1228.
The pope's
censure of
the emperor;

diori consilio alta intendimus remedia invenire, quanto magis necessitas et ex multis inflata doloribus ¹nostra grandis angustia pavit; et sic cum Dominus populo suo modicum ostendit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non est imitatus illorum, per quem salus in Israel fieri consuevit. Non tamen misericordiæ Dei sunt consumptæ, nec ejus miserationes penitus defecerunt. Sperantes namque in misericordia Dei nostri, qui viam nobis ostendit, per quam in hoc opere prospere gradiamur, et viros secundum cor suum destinabit, qui præcedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum Christianum. Ideoque fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus hæc clero et populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem ad hæc exsequenda, suos studeant animos præparare; et ipsos ad vindicandam injuriam Jesu Christi sedulis exhortationibus invitetis, ut cum ipsos sedes apostolica, habito majori tractatu, sollicitandos providerit, promptos inveniat et paratos. Porro, ne tanquam canes muti, non valentes latrare, videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo, qui tantam injuriam in Dei populo procuravit, imperatorem videlicet Fredericum, qui nec transfretavit in termino constituto, nec illuc in taxatis passagiis præscriptam pecuniam destinavit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad suum stipendium pro subsidio terræ sanctæ ibidem, sed in tribus articulis manifeste deficiens in descriptæ excommunicationis laqueum ultroneus se ingressit, excommunicatum, quanquam inviti,

¹ *Nostra.*] 'Nostram' in MS.

publice nuntiamus et mandamus ab omnibus arctius evitari, per vos et alios ecclesiarum praelatos excommunicatum facientes publice nuntiari; contra ipsum, si contumacia ejus exegerit, gravius processuri. Confidimus tamen adhuc in pii Patris clementia, qui neminem vult perire, quod oculi mentis caligantes hoc ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit animo rebellis, lumine poterunt illustrari, ut suam aspiciat nuditatem, et ignominiam suam, quam incurrit, avertat, sicque recurat ad Medicum, et ad matrem ecclesiam revertatur, per humilitatem debitam et satisfactionem congruam salutis remedia recepturus. Nos enim ejus salutem in Domino affectamus interire, quem olim sincere dileximus in minori etiam officio constituti. Data Laterani, pontificatus nostri anno secundo.'

A.D. 1228.
declares him
excommunicated.

*Quomodo promulgaverit se fuisse excommunicatum
injuste.*

Imperator itaque Fredericus, cum a referentibus se excommunicatum cognovisset, perturbatus est valde; et sicut papa per literas suas in omnibus Christianorum finibus latam fecerat sententiam publicari, ita dictus imperator scripsit universis regibus et principibus Christianis conquerens sententiam in eum fuisse injuriose latam. Denuntiavit etiam singulis et universis, se non frivolis excusationibus, sicut ei papa mendose imposuit, a peregrinatione reversum inchoata, sed maximæ infirmitatis causa, Illius super hoc testimonium invocans, qui est testis in caelo fidelis. Affirmavit insuper, quia, quam citius sibi Deus prosperitatem præstiterit corporalem, votum suæ peregrinationis, sicut decet imperatorem, cum honore congruo persolvere Domino procurabit. Inter cæteros siquidem catholicos reges

The emperor
complains of
the injustice
of the pope's
sentence.

A.D. 1228.

litteras¹ auro bullatas Anglorum regi transmisit, proponens in eisdem Romanam ecclesiam tanto jam avaritiæ succensam incendio et concupiscentia manifesta, quod, bonis ecclesiasticis non sibi pro voto sufficientibus, imperatores, reges et principes exhæredare et tributarios constituere non veretur. Habeat autem de præmissis rex Anglorum ex se ipso exemplum, cujus patrem, regem scilicet Johannem, tamdiu excommunicatum tenuit, quousque ipsum et regna ejus constituit sub tributo. Habeant etiam generaliter omnes idem exemplum de comite Tholosano, et alios principes multos, quorum terras et personas tamdiu sub interdicto concludere molitur, donec illos in consimilem redigat servitutem. In conclusione demum epistolæ hæc adjecit, exhortans orbis principes universos, ut contra tantam sibi prospiciant avaritiam et iniquitatem, quia

‘ Tunc sua res agitur, paries cum proximus ardet.’

Quod imperator movit persecutionem contra papam.

Letter of the pope complaining of the emperor's violence.

Ex hac itaque imperator perturbatione commotus excitavit contra dominum papam et Romanæ ecclesiæ patrimonium persecutionem gravissimam, invadens ejus civitates et occupans castella, sicut idem papa per litteras suas Romano, Francorum legato, directas evidenter expressit in hæc verba ;

Querimonia papæ de imperatore.

‘ Gregorius episcopus Romano, Francorum legato, salutem, et cætera. Attende, quæsumus,

¹ *Litteras auro bullatas.*] The letter of Henry, acknowledging the receipt of the pope's letters of complaint, as well as to the emperor, with a similar acknowledgment, at the same time urging him to reconciliation with Gregory, are printed in Rymer, p. 189; both are dated the 20th of February.

et vide, si est dolor sicut dolor noster, quia filium A.D. 1228. quem nutritiv ecclesia Romana et exaltavit, sperans eum propugnatorem habere contra perfidas nationes, ecce nunc persecutorem sentit immanem et hostem validum experitur. Et ne taceamus atroces injurias et jacturas enormes, quibus Fredericus dictus imperator ecclesiam et personas ecclesiasticas damnabiliter hactenus flagellavit, patrimonium apostolicæ sedis per Saracenos et alios impugnat, et, quod detestabilius est, cum Soldano et aliis Saracenis nefandis contrahens pactiones illis favorem, Christianis odium, exhibet manifestum, ad exterminandas domos Hospitalis et fratrum militiae Templi, per quas reliquiae terræ sanctæ hactenus sunt observatæ, impie annullando. De mandato enim illius inter Saracenos et Christianos fide fracta treugarum, cum Saracenis per terras domorum prædictarum hostiliter equitans, occisis et captis quamplurimis, cum prædas pluries abduxissent, Templarii ex hoc moti insurrexerunt contra ipsos, et cum prædas abstulissent ad valentiam sex millium marcarum, Thomas, comes Atterarum, imperatoris bajulus, illis redeuntibus, furibundus et currens, eandem prædam, ipsis non audentibus, juxta ordinis sui instituta, manum armatam contra Christianos erigere, abstulit violenter et reddidit Saracenis, præter quædam, quæ idem Thomas sibi dicitur retentasse. Quod si Saraceni prædam auferant Christianis, dictus Thomas non solum ad recuperationem ejus intendit, sed nec patitur ut Christiani prædam aliquando auferant Saracenis; quare factum est, ut illi ex hoc insolentiores effecti nostros audacter impugnent, et nostri prodicionis periculum formidantes minus audeant refragari, et sic effusio sanguinis Christiani nonnunquam in imperatoris damnabile lucrum

A. D. 1228.

cedit. Adhuc quoque Thomas prædictus, vel potius imperator per ipsum, prædictas domos immanius persequens ipsas domibus et possessionibus, quas habebant, vi arctiori per violentiam spoliavit, easque privilegiis apostolicæ sedis privare contendens et imperiali subijcere jurisdictioni nititur, in manifestam subversionem ecclesiasticæ libertatis; centum sclavos etiam, quos domus Hospitalis et Templi habebant in Sicilia et Apulia, colligi faciens eos reddidit Saracenis, nulla exinde recompensatione facta domibus supradictis; et sic servis Christi servos præfert Machometi, ut ex præmissis ostenditur evidenter. Adhuc pro certo scias, quod, licet dictus imperator cum paucis militibus mare dicitur intrasse, contra patrimonium ecclesiæ magnum exercitum Christianorum et Saracenorum multitudinem destinavit, ut de observatione fidei suæ et malignitate constet, omnibusque manifestum exhibeat argumentum. Unde, inquam, firmam spem fiduciamque habemus in Illo, qui ecclesiam suam supra fidei petram stabiliens, quantumcunque irruant venti et inundent flumina, ipsam tamen non permittet everti. Dum itaque videmus eum in subversione fidei Christianæ ita nequiter machinantem, ita impie sævientem, possemus extremum periculum formidare; sed, quantumcunque impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in sua poterit pravitate prævalere, sed in ea potius evanescet. Cum igitur ex officio, licet indignis, nobis injuncto providere cogimur, ne minister Machometi in Christi ministros diutius valeat desævire, sed sæviens potius confundatur et gloria Christiani nominis exaltetur, dilectioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per terram legationis tuæ hæc solenniter prædicans Christi fidelibus, ut pro

statu fidei et religionis observantia stent ex animo, tanquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos et exhortationibus inducere non postponas. Datum Laterani, nonas Augusti, pontificatus nostri anno secundo.' A.D. 1228.

Quomodo populus Romanus excitavit seditionem contra Romanum pontificem.

Per idem tempus populus Romanus in papam Gregorium ¹seditionem excitantes in solemnitate Paschali illum ejecerunt ab urbe, insequentes eum usque Viterbium castellum suum, ubi fortiter invalescentes fugaverunt eum usque Perusium. Papa, aliud vindictæ genus non habens, persecutores suos excommunicationis sententia innodavit. Eodem tempore rex Francorum misit in Provinciam super comitem Tholosanum expeditionem non modicam militarem, ut dictum comitem debellarent et ab illis finibus propulsarent. Audientes autem quod dictus comes erat tunc apud castrum Saracenum, quod ad jus suum spectare videbatur, decreverunt eum ibidem inclusum obsidione vallare; comes vero de eorum adventu præmunitus cum ingenti copia armorum illis venientibus insidias paravit, et in silva quadam, per quam Franci erant transituri, cum suis delitescens hostium exspectavit adventum. Venientibus autem Francigenis ad locum insidiarum, irruit in eos cum suis legionibus comes

The pope driven from Rome by the people.

¹ *Seditionem excitantes.*] The mode employed by Frederic to obtain this influence is stated by a contemporary writer to have been as follows: He sent to the chief men, 'the Frangipani,' of the city, and demanded of them an account of the value of all their property; having purchased this, he restored it again to the former possessors, to be held by them in fee: when therefore the emperor was again excommunicated, these men excited the people against the pope, and he was driven from the city: Conrad. Ursperg. in Raynaldi, i. p. 606.

A.D. 1228.

non præmeditatos, et, facto hinc inde conflictu gravissimo, capti sunt ex Francis milites quingenti et multi interfecti. Capti sunt autem servientes armati ad duo millia bellatorum, quos omnes ad nudam carnem spoliatos, quorundam eorum fecit comes oculos erui, aures et nares præcidi, manus ac pedes aliorum truncari, et sic turpiter mutilatos ad propria remittens deforme spectaculum Francigenis exstiterunt. Milites quoque captivos omnes, collectis prius manubiis eorundem, comes victor sub arctiori custodia deputavit. Actum autem est bellum hoc decimo quinto calendas Junii apud castrum Saracenum. Et, ut breviter dicatur, ter in illa æstate expeditionibus repetitis, ¹Franci fugati vel capti sunt et incarcerati a comite sæpe dicto.

De obitu Stephani, Cantuariensis archiepiscopi.

Death of the
archbishop of
Canterbury.

Eodem anno Stephanus, Cantuariensis archiepiscopus, apud Slindonam manerium suum septimo idus Julii diem clausit extremum, et Cantuariæ sepultus est pridie nonas ejusdem. Quo sepulto, monachi Cantuarienses, impetrata a rege licentia, elegerunt monachum de gremio ecclesiæ suæ, magistrum Walterum de Heinesham, tertio nonas Augusti; quem cum monachi præsentassent regi, ipse post diutinam deliberationem eundem electum certis objectionibus recusavit. Primo quidem ipsis objecit monachis, quod talem elegerunt qui sibi inutilis erat et regno; secundo, quod pater ejusdem de furto convictus patibulo

¹ *Franci fugati vel capti sunt.*] The successes of Raymond, however, appear to have been but of short duration. On the 12th of April in the following year a peace was concluded with Louis, by which, between the pope and the king, the count lost nearly all his territories, and remained a prisoner in the Louvre during six weeks, until the three preliminary articles of the treaty had been executed.

suspensus fuit ; tertio, quod steterat in causis A.D. 1228. contra patrem suum regem Johannem tempore interdicti. Episcopi præterea Cantuariensis ecclesiæ suffraganei eidem electo objecerunt, quod sanctimoniam quandam oppresserat et ex illa pueros susceperat ; adjicientes insuper, quod electio archiepiscopi sine illorum præsentia non debuerat celebrari. Electus vero præfatus electioni factæ firmiter adhærens, post appellationem interpositam, assumptis sibi monachis quibusdam Cantuariensibus, domini papæ se conspectibus præsentavit, petens instanter, ut electionem factam confirmaret ; sed dominus papa, cum cognovisset quod a rege et episcopis electio contradicta fuisset, distulit negotium donec rei certitudinem didicisset. Rex autem et episcopi, cum audissent, quod electus memoratus ad curiam Romanam iter arripuisset, objectiones præmissas in scriptum redactas et tam regio quam episcoporum [sigillo] roboratas per Roffensem et Cestrensem episcopos domino papæ transmiserunt, magistrum Johannem, Bedefordensem archidiaconum, hujus negotii constituentem patronum. Nuntii tandem Romam pervenientes domino papæ regis et episcoporum literas porrexerunt ; quibus papa diligenter inspectis de consilio cardinalium statuit partibus diem in crastino Cinerum, ut tunc mediante justitia causam sententialiter diffiniret. Eodem anno per totam æstatem facta sunt tonitrua et coruscationes horribiles, quæ ædificia multa succenderunt in locis diversis, homines et animalia peremerunt ; et subsequenti sunt in autumno sequente pluviarum inundationes assiduæ, quæ in frugibus colligendis damna non modica cultoribus intulerunt.

De irruptione facta a Wallensibus.

A.D. 1228.
Disturbances
in Wales.

Eodem¹ tempore, mense Augusto, milites et servientes de castello Montis-Gomerii, quod in confinio Walliæ situm est, exierunt cum populo regionis, ut transitum cujusdam viæ non longe a castello positum, propter latrones Wallenses, qui in illo loco viatores peremerunt assidue et transeuntes spoliaverunt, latius facerent et securum. Venientes siquidem ad locum cum gladiis, securibus, fustibus et armis, cœperunt arbores et ligna, veprium densitates et fruteta, succindere, ut viam redderent viatoribus spatiosam. Quod cum a Wallensibus compertum fuerat, supervenerunt in fortitudine gravi et hostes acriter invadentes compulerunt eos castellum ingredi, hinc inde quibusdam peremptis; et, cum castellum obsidione vallasset Wallenses, inclusi continuo Huberto, Angliæ justiciario, cui rex nuper honorem illum cum castello dederat, significaverunt, et rex cum festinatione illuc veniens Wallenses ab obsidione removit. Rex autem Anglorum, qui cum paucis venerat armatis, majorem exspectavit exercitum, et tandem multitudine armatorum stipatus ad silvam pervenit supradictam, quæ, ut dicebatur, spatiosa erat nimis, habens quinque leucarum longitudinis; sed, licet magna esset et præ nimia densitate ad destruendum difficillima, cum ingenti tamen labore succisa est et ignibus concremata. Et rex inde ad interiora exercitum ducens venit ad quoddam habitaculum albi ordinis, Cridia vocatum, quod Wallensibus erat receptaculum, sicut regi fuerat intimatum. Injecto igitur ad jussionem regis igne in ædificiis illis, omnia in favillas

¹ *Eodem tempore.*] Chron. Walt. Hemingford, p. 572.

redegerunt. Hubertus vero justiciarius, cum si- A.D. 1228.
 tum loci quasi inexpugnabilem advertisset, rege
 consentiente, jussit ibi castellum firmari; sed,
 antequam opus inceptum ad perfectionem veni-
 ret, multi utrinque interfecti sunt, et vir nobilis
 Willelmus de Brausia, dum victualia quæreret,
 a Wallensibus captus et in vinculis est abductus.
 Quidam etiam miles, quem rex nuper donaverat
 cingulo militari, cum aliis ad victualia quærenda
 exierat; cum socios ab hostibus videret præclu-
 sos, in medios hostes audacter prorupit, et, mul-
 tis ex obstantibus interemptis, ipse tandem cum
 quibusdam aliis de exercitu regis occubuit inter-
 fectus. Erant autem multi ex majoribus exer-
 citus regis, qui cum Loelino erant confœderati ac
 regi fide adhæserunt; unde, deficiente in exer-
 citu omni alimentorum genere, coactus est rex
 turpem inire concordiam, in hoc consentiens, ut
 castellum magnis sumptibus fere jam consum-
 matum ipsius regis complanaretur expensis, et
 Loelinus pro laboribus regis et impensis daret
 tria millia marcas eidem regi, et sic fœdere con-
 firmato unusquisque ad propria remearet; sic-
 que rex Angliæ, postquam per tres fere menses
 in constructione castelli prædicti occupatus fue-
 rat et pecuniam infinitam inutiliter consumpse-
 rat, remanente ¹Willelmo de Brausia in vinculis
 Loelini, viro nobili, ignominiose ad propria re-
 meavit. Et tunc multos commovit ad risum, quod
 cum primo construeretur castellum, justiciarius

¹ *Willelmo de Brausia.*] In the
 Chron. Dunst. it is said, that he
 redeemed himself for three thou-
 sand marks and the castle of
 Poet, which he gave to Llewellyn
 with his daughter in marriage.
 Hemingford thus describes his
 death: 'Anno vero sequenti Leu-
 linus eundem Willielmum de

Breens, baronem nobilem, quem
 ad festa Paschalia invitaverat
 post epistolarum copiam, super
 adulterio et violatione uxoris suæ
 accusans, et malitiose eum et
 hostiliter aggressus est, et eum
 in carcerem trudens morte tur-
 pissima et absque omni judicio
 finaliter interemit.'

A. D. 1228. dans illi nomen vocavit illud ‘Stultitiam Huberti,’ quia, cum novissime viderent post tot labores et expensas solo tenus complanatum, justiciarium omnes non solum prophetam, sed etiam plus quam prophetam, esse dixerunt.

Quomodo Fredericus in terram sanctam applicatus negotium Christi promovit.

The emperor sails for the Holy Land.

Eodem anno Fredericus, Romanorum imperator, mare Mediterraneum ¹ingressus, ut Domino votum peregrinationis persolveret, in vigilia natiuitatis beatæ virginis Mariæ apud Achon applicuit. Venientes ei obviam clerus terræ et populus cum² magno honore, ut tantum decebat virum, illum receperunt; veruntamen, quoniam noverant eum a papa excommunicatum, non ei communicaverunt in osculo neque in mensa, sed consulerunt, ut domino papæ satisfaciens rediret ad sanctæ ecclesiæ unitatem. Templarii vero et Hospitalarii in adventu ejus flexis genibus adoraverunt eum, genua ejus deosculantes, et omnis fidelium qui aderat exercitus glorificabant Deum in adventu ipsius, sperantes quod per eum fieret salus in Israel. Tunc imperator ad universum exercitum gravem deposuit querimoniam de pontifice Romano, quod injustam tulerat in eum sententiam, affirmans se gravissimæ infirmitatis causa iter suum ad terræ sanctæ subsidium distulisse. Soldanus vero Babylonîæ, cum ejus ad-

¹ *Ingressus.*] Upon the causes which determined Frederic to undertake this expedition, and the progress of it, see Michaud, *Hist. des Crois.* iv. p. 25, *seqq.*

² *Cum magno honore.*] It is amusing to read the accounts of Frederic's conduct and his success, as given by different writers:

an anonymous chronicler (*Rec. des Hist.* xviii. p. 581) speaks of it as, ‘Ejus malo Deus utens in bonum ei ubique victoriam dedit;’ whilst Fuller opens his chapter on this part of his history with, ‘See how God's blessing goeth along with the pope's curses,’ p. 163. See Raynaldi, tom. ii. p. 1, *seqq.*

ventum in Syriam cognovisset, misit ei xenia A. D. 1228. multa et pretiosa in auro et argento, in pannis sericis et lapidibus pretiosis, in camelis et elephantis, in ursis et simiis, et aliis rebus mirificis, quibus omnibus regiones abstinent occidentis. Invenit autem imperator, tempore quo Achon applicuit, principes et rectores exercitus populi Christiani, ducem de Leinburgo, patriarcham Hierosolymitanum, archiepiscopos Nazarensem, Cæsariensem et Narbonensem, episcopos Angliæ Wintoniensem et Exoniensem, magistros Hospitalis et militiae Templi et Hospitalis Teutonicorum, qui præerant octingentis militibus peregrinis et peditibus quasi decem millibus de diversis mundi partibus congregatis; qui omnes pari devotione ducti Cæsaream et quædam munierant castella, ita quod nihil defuit eis, nisi ut Joppen restaurarent, et sic in sanctam tenderent civitatem. ¹Imperator itaque, cum statum terræ sanctæ cognovisset, approbavit plurimum peregrinorum propositum; et, præparatis omnibus ad progrediendum necessariis, processerunt feliciter, prævio imperatore, et decimo septimo kalendas Decembris apud Joppen prospere pervenerunt. Sed quoniam unusquisque de exercitu necessaria victus ad dies plurimos sibi et equitaturis suis cum summariis per terram portare nequivit, et specialiter propter hoc in portu Achonensi naves essent paratæ, quæ victualium copiam exercitui adferre debebant, repente suborta tempestate et supra modum tumescentibus procellis, per septem dies continuos peregrinis Christi victualia fuerant interdicta. Erat autem tunc timor magnus inter multos, ne iratus Dominus populum suum delere vellet de super-

¹ *Imperator itaque.*] Compare the account by Ric. de S. Germano; Murat. vii. p. 1011.

A.D. 1223. ficie terræ ; sed ineffabilis clementia Dei, quæ neminem temptari permittet ultra quam sustinere potest, tandem clamoribus lachrymosis fidelium excitatus imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna, et continuo, ducente Domino, venit apud Joppen innumera navium multitudo cum ingenti copia frumenti et hordei, vini et omni genere victualium, ita quod indeficiens abundantia fuit semper in exercitu usque ad perfectam reædificationem castrî memorati, prout rerum necessitas exigebat.

De Joseph, qui ultimum Christi adventum adhuc vivus exspectat.

The wander-
ing Jew.

Hoc denique anno venit in Angliam archiepiscopus quidam Armeniæ majoris, gratia peregrinationis, ut sanctorum hujus regionis reliquias et loca venerabilia, sicut et per alia regna fecerat, visitaret; literas quoque domini papæ ad commendationem personæ suæ viris religiosi et prælatis ecclesiasticis exhibuit, ut ab ipsis cum debita reverentia reciperetur et honorifice tractaretur. Hic demum apud sanctum Albanum veniens ab abbate et conventu reverenter susceptus est, ubi cum ab itinere fatigatus ob sui suorumque recreationem aliquandiu perendinaret, cœpit per interpretes suos de ritu et religione hujus patriæ multa et moribus vivendi inquirere, et de partibus orientis plura admiranda referre. Interrogatus autem inter cætera de Joseph, viro illo, de quo frequens sermo habetur inter homines, qui, quando passus est Dominus, præsens fuit et locutus est cum eo, qui adhuc vivit in argumentum fidei Christianæ, si illum aliquando viderit vel de illo quicquam audierit, respondit pro archiepiscopo miles quidam de familia ejus, qui interpres illius erat,

et dixit lingua Gallicana, ‘ Bene,’ inquit, ‘ do-
 minus meus novit hominem illum, et paulo
 antequam iter arriperet ad partes occidentis
 idem Joseph in Armenia comedit ad mensam
 domini mei archiepiscopi, quem multoties vide-
 rat et audierat loquentem.’ Et postmodum in-
 terrogatus de rebus gestis inter Dominum Jesum
 Christum et eundem Joseph respondit, ‘ Tempore
 passionis Jesu Christi, cum captus a Judæis in
 prætorium adductus fuisset ante præsidem Pila-
 tum, ut judicaretur ab ipso, accusantibus illum
 constanter Judæis, cum Pilatus nullam in eo
 causam mortis invenisset, dixit ad eos, ‘ Accipite
 eum vos et secundum legem vestram judicate
 eum;’ sed tandem, invalescentibus clamoribus Ju-
 dæorum, Pilatus dimisit illis Barabbam ad pe-
 titionem illorum, et tradidit eis Jesum, ut cruci-
 figeretur. Trahentibus autem Judæis Jesum ex-
 tra prætorium, cum venisset ad ostium, Carta-
 philus, prætorii ostiarius et Pontii Pilati, cum
 per ostium exiret Jesus, pepulit eum pugno post
 tergum impie et irridens [dixit,] ‘ Vade Jesu ci-
 tius, vade, quid moraris?’ Et Jesus severo vultu
 et oculo respiciens in eum dixit, ‘ Ego,’ inquit,
 ‘ vado, et tu exspectabis donec redeam.’ Itaque
 juxta verbum Domini exspectat adhuc Cartaphi-
 lus ille, qui tempore Dominicæ passionis erat
 quasi triginta annorum, et semper, cum usque
 ad centum attigerit annorum, redit ad illum æta-
 tis statum, quo fuit anno quando passus est
 Christus. Verum post passionem Domini, cres-
 cente fide catholica, idem Cartaphilus baptizatus
 fuit ab Anania, qui Paulum baptizavit aposto-
 lum, et vocatus est Joseph. Habitat autem fre-
 quenter in utraque Armenia et in aliis regioni-
 bus orientis, vivens inter episcopos et alios ec-
 clesiæ prælatos, homo sanctæ conversationis et

A.D. 1228.
 The wander-
 ing Jew.

A.D. 1228.
The wander-
ing Jew.

religionis, pauca habens verba et circumspecta, ut qui nihil loquitur, nisi ab episcopis et viris religiosis fuerit requisitus; et tunc refert de rebus antiquitatis, et de iis quæ gesta fuerant in passione Domini et resurrectione, et de testibus resurrectionis, illis videlicet qui surrexerunt cum Christo et venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis; refert etiam de symbolo apostolorum, et eorum divisione et prædicatione; et hoc sine risu et omni levitate verborum, ut qui magis versatur in lachrymis et timore Domini, metuens semper et suspectum habens adventum Jesu Christi, ne ipsum in ultimo examine inveniatur iratum, quem ad passionem properantem irridens ad dignam provocaverat ultionem. Veniunt ad eum multi de remotis mundi partibus, delectantes in ejus visione et confabulatione, quibus, si sint viri authentici, de rebus interrogatis breviter quæstiones absolvit. Munera omnia sibi respuit oblata, victu moderato tantum et vestitu contentus. In hoc semper ponit suæ spem salutis, quia ignorans deliquit, dicente Domino et orante in passione sua pro inimicis suis, 'Pater,' inquit, 'ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.'

*Quomodo magister Rogerus successit Eustachio,
Londoniarum episcopo.*

Death of
Eustace,
bishop of
London.

Eodem anno ¹Eustachius, Londinensis episcopus, diem clausit extremum; in cujus loco canonici elegerunt magistrum Rogerum, cognomento Nigrum, et de gremio ecclesiæ suæ canonicum, quem rex sibi præsentatum sine difficultate

¹ *Eustachius.*] He had filled the offices of justiciary, chancellor of the exchequer, and treasurer; upon his appointment to London, the following distich was written:

'Eustachi nuper bene stabas,
nunc bene stabis:
Ille status valuit, prævalet
iste tamen.'

Godw. i. 180.

recepit.¹ Eodem tempore obiit Galfridus, Eliensis A.D. 1228.
episcopus, mense Decembris, et sepultus est in
ecclesia cathedrali pridie idus mensis ejusdem;
quo defuncto, monachi elegerunt communi assen-
su ²Hugonem sancti Edmundi abbatem, qui regi
præsentatus gratanter susceptus est et episco-
patus bonis omnibus investitus.

*Quomodo magnates transmarini regem Anglorum
sollicitant ut transfretaret.*

Anno Domini MCCXXIX. rex Anglorum Hen- A.D. 1229.
ricus ad natale Domini tenuit curiam suam apud Henry re-
Oxoniam, præsentibus magnatibus regni. Venit fuses the
autem ad eum ibi archiepiscopus Burdegalensis, invitation
missus a magnatibus Wasconiaë, Aquitaniaë et of the Nor-
Pictaviaë, qui a rege cum honore susceptus dies man and
cum illo natalitios celebravit. Venerunt etiam other French
et alii solennes nuntii ad dictum regem de barons.
Normannia, quorum omnium unum atque idem erat
negotium, ut videlicet ex parte magnatum re-
gionum prædictarum regem studiose sollicita-
rent, quatenus ad partes illas venire in persona
propria dignaretur, denuntiantes ei, quod uni-
versi ad eum cum equis venirent et armis et
populo regionis, atque cum illo immutabiliter
starent, ut revocare posset hæreditates amissas.
Rex autem, qui adhuc erat nimia simplicitate
perplexus, a justiciario suo, quem consiliarium
unicum habuit, consilium quærens nil aliud ac-
cepit, nisi ut negotium differret, donec hora feli-
cior arrideret. Nuntii vero, aliud non habentes
in responsis, ad propria sunt reversi.

¹ *Recepit.*] He was consecra- | by Henry, bishop of Rochester.
ted on Trinity Sunday, the 10th | ² *Hugonem.*] Hugh Norwold
of June, by Joceline, bishop of | was consecrated at the same time
Bath, or, according to others, | with the preceding.

*Quomodo astronomici Tholetani scripserunt de
concursu planetarum.*

A.D. 1229.
Predictions
by the astro-
nomers of
Toledo.

Eodem¹ anno astronomici Tholetani omnibus Christi fidelibus in hæc verba literas direxerunt; ‘Omnibus Christi fidelibus ad quos literæ istæ pervenerint, magister Johannes David, Tholetanus, et omnes ejusdem loci magistri, salutem et Spiritus Sancti solamen. Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono, usque ad septem annos mense Septembri, sole existente in Libra; convenient omnes planetæ simul, et sol erit in cauda Draconis; et fiet significatio rerum mirabilium et horrendarum; et fiet diluvium ventorum per Saturnum et Martem; crescetque mare ultra solitum; et erit ventorum tanta conflictio, quod stabunt fere simul, et obscurabunt et denigrabunt totum orbem; et dabunt sonos horribiles, corda hominum dissipantes, et subvertentes ædificia et arbores, et plures valles montibus æquabuntur; et civitates multas præcipitabunt, maxime Babyloniam, ²Haldas, Methan, Tripolin, et præcipue civitates sitas in locis arenosis et sabulosis; sed ante hæc omnia erit eclipsis solis, et erit sol a tertia usque ad meridiem ignei coloris et rubicundi, quod significat maximam sanguinis effusionem; et post sequetur eclipsis lunæ in coloribus permixtis, et significat maximam confusionem gentium; et post hæc erunt prælia multa et occisiones in oriente et occidente, et erunt terræmotus universales, id est per totum orbem, et mortalitas et contradictio gentium et regnorum ad invicem, ita

¹ *Eodem anno.*] The chapter following is not found in Paris. mains in the month of August; col. 1022.

Ric. de S. Germano gives it in nearly the same words, saying that it was received at S. Ger- ² *Haldas.*] ‘Baldach;’ Ric. de S. Germ.

quod maximus imperator morietur; et post illorum diluvium ventorum pauci remanebunt viventes, sed quotquot remanebunt deliciis divitiisque affluent; orietur dubietas inter Saracenos, et relinquent mahumerias suas et fient unum cum Christianis. A.D. 1229. Ideoque nos, cum omnibus magistratibus atque consodalibus nostris peritisque astrologis Tholetanis, hoc comperientes vobis duximus revelandum, injungentes in remissionem peccatorum et redemptionem animarum vestrarum, quatenus hoc reveletis ignorantibus provideatisque vobis ubi habitetis dum venti durabunt; flabunt enim in mense Septembri, et tunc super terra vix invenietur mansio segura. Præparetis ergo cavernas in planitie circumdata montibus, non arenosis, non sabulosis, sintque operatæ trabibus, et terram desuper ponite, nec sint arbores sitæ, quibus orificium cavernæ possit operiri, et præparetis ibi vobis cibaria quadraginta dierum; et sciatis quod nobiscum concordant et conveniunt omnes philosophi astronomi Hispaniæ, Græciæ, Arabiæ, Armeniæ et Hebræi. Audivimus enim quod Manichinus rex constituit turrin excellentis ædificii, coadjuvantque eum omnes vicini sui, et erit turris ad instar maximi montis. Hoc autem dicimus de rege Siculo, quæ nobis pericula videntur. Nihil ergo in præsentī restare videtur populo Christiano, nisi ut singuli et universi ita præparare studeant conscientias suas per pœnitentiam fructuosam, per humilem et puram confessionem, per satisfactionem condignam, ne venienti Sponso vacuis occurrentes lampadibus, cum fatuis virginibus oleum non habentibus, januam, quod absit, inveniant clausam; sed cum prudentibus potius virginibus, lampadibus ornatis, cum Sponso introire ad nuptias mereantur. Credimus enim fiducialiter, quod

A.D. 1229. infra hoc sequens septennium aliqua visuri sumus; quibus sive in veritate, sive per similitudinem, his literis astronomicorum non immerito poterimus adaptare.' Sed hoc infra.

Quomodo papa Gregorius bellum movit contra Romanorum imperatorem Fredericum.

The pope makes war against the emperor.

Circa dies istos papa Gregorius, nimis moleste ferens, quod Romanorum imperator excommunicatus et rebellis ad terram sanctam transierat, de illius pœnitentia et satisfactione, ut rediret ad ecclesiæ unitatem, non mediocriter desperabat; decrevit ergo eum, quem contumacem vidit et rebellem, ¹ab imperiali fastigio depellere, et alium quemlibet filium pacis et obedientiæ loco ejus subrogare. Sed, quoniam hujus rei certitudo nobis non nisi per alios constare potuit, ponemus hic literas Thomæ cujusdam comitis, quem imperator cum quibusdam aliis in recessu suo imperii tutorem constituit et rectorem, quas imperatori super hoc negotio in Syriam destinavit et quas a quodam suscepimus peregrino; 'Excellentissimo domino Frederico, Dei gratia imperatori Romanorum et semper augusto, ac Siculorum regi potentissimo, Thomas, comes Ateranensis, suus in omnibus fidelis ac devotus, salutem et de hostibus triumphare. Post recessum vestrum, domine excellentissime, Gregorius, pontifex Romanus et magnificentiæ vestræ hostis publicus, congregato exercitu copioso ²per Johannem de Breisnes, regem quondam Hierosolymorum, et alios quosdam viros strenuos quos militiæ suæ principes constituit, terram vestram

¹ *Ab imperiali fastigio depellere.*] Compare Raynaldi, tom. ii. p. 9.

² *Per Johannem de Breisnes.*] 'Ghesse whether his plots ran not low when he used such dregs;' Holy Warre, p. 165.

et hominum vestrorum hostiliter ingressus, contra legem Christianam decrevit vos in gladio vincere materiali, quem non potuit dejicere in gladio, ut asserit, spirituali; nam Johannes præfatus, de regno Francorum et aliis conterminis regionibus militiam contrahens non modicam, sub spe imperii, si vos possit subigere, de ¹thesauris apostolicis suis militibus stipendia ministrat. Itaque idem Johannes et alii sedis apostolicæ principes militiæ terram vestram et hominum vestrorum hostiliter ingressi ignem in ædificiis et villis accumulunt, spolia et armenta rapiunt, homines captos diversis cruciatibus torquent et ad gravissimam redemptionem compellunt, nulli sexui parcunt nec cuiquam extra ecclesiam vel cœmeterium deferunt, vicos et castella capiunt, non habentes ad hoc respectum, quod sitis in servitio Jesu Christi; et, si quis de imperatore mentionem facit, Johannes de Breisnes affirmat non esse alium imperatorem præter ipsum. Mirantur super his amici vestri, excellentissime imperator, et præcipue clerus imperii vestri, qua consideratione et conscientia talia facere potest pontifex Romanus et contra Christianos arma movere, maxime cum Dominus dixerit Petro in gladio materiali percutere volenti, ‘Mitte gladium tuum in vaginam; omnis enim, qui percusserit in gladio, gladio peribit;’ vel quo jure possit ille, qui quasi diebus singulis prædones, incendiarios et Christianorum tortores excommunicat et ab ecclesiæ unitate separat, talibus assensum præbere et auctoritatem præstare, similiter admirantur. Provideatis nunc, obsecro, imperator potentissime, secu-

¹ *Thesauris apostolicis.*] The pope's soldiers bore as their device the keys upon the standards, to show that they fought for the rights of S. Peter; Ric. de S. Germ.

A.D. 1229.

ritati vestræ et honori super præmissis, quia inimicus vester sæpeditus Johannes de Breisnes omnes portus cismarinos cum exploratoribus armatis non paucis munivit, ut, si forte incautus a peregrinatione redires, ipse vos sub captione conclusum incarceraret, quod Deus avertat.’

Quomodo nuntii regis Anglorum instabant Romæ ad dejectionem electi Cantuariensis.

The king's messengers at Rome, concerning the see of Canterbury.

Eodem tempore, instante die Cinerum, qui electo Cantuariensi et nuntiis regis Anglorum fuerat præfixus, ut quid de jure foret a papa diffiniendum inter partes, procuratores dicti regis, et præcipue magister Johannes de Houtona, dominum papam et cardinales omnes assiduis petitionibus convenerunt, sed illos invenientes ex more difficiles timuerunt valde a suo desiderio defraudari; unde, habito tractatu detestabili super præmissis, promiserunt domino papæ ex parte regis Anglorum ab universo regno Angliæ et Hiberniæ decimationem omnium rerum mobilium ad guerram suam contra imperatorem sustinendam, ut eos in regis proposito exaudiret. At dominus papa, qui rebellem imperatorem super omnia æstuabat dejicere, tantis promissionibus exhilaratus trahitur ad consensum, et sedens in consistorio hæc quæ sequuntur proposuit;

De cassatione Walteri monachi, Cantuariensis electi.

The election of Walter declared void.

‘Nuper ad audientiam nostram pervenit electio Cantuariensis ecclesiæ de quodam monacho Waltero nomine, et postquam audivimus, quæ pro se idem monachus et pro sua electione proposuit; auditis etiam objectionibus et exceptionibus episcoporum Angliæ, tam contra electionem præfatam, quam in personam electi, per

venerabiles fratres nostros ¹ Coventrensem et Roffensem episcopos, et dilectum filium archidiaconum Bedefordiae, in audientia nostra propositis, examinationem circa electi prænominati personam venerabilibus fratribus nostris domino Albanensi, magistro Thomæ de sancta Sabina, et magistro P. cardinalibus, commisimus faciendam. Cumque electus coram illis constitutus requisitus esset de descensu Domini ad inferos, utrum in carne, vel sine carne, descenderit, male respondit. Item de confectione corporis Christi in altari male respondit. Item requisitus de Rachele, qualiter plorabat filios suos, respondit male 'Cum primo esset mortua.' Item requisitus de sententia excommunicationis contra juris ordinem lata, male respondit. Item requisitus de matrimonio, si alter contrahentium infidelis decesserit, male respondit. Super his omnibus articulis diligenter examinatus est a cardinalibus, quem non solum dicimus minus bene respondisse, sed pessime. Cum igitur nobilis sit ecclesia Cantuariensis et nobilem habuisset prælatum, virum discretum, modestum et de gremio Romanæ ecclesiæ assumptum; et iste modo electus, quem non solum pronuntiamus indignum, imo, si de rigore juris procederemus, aliud dicere cogere, ita insufficiens est, quod ad tantum honorem non debet assumi; electionem de ipso factam omnino cassamus, provisionem nobis dictæ ecclesiæ reservantes.'

A.D. 1229.

De promotione Richardi, Cantuariensis archiepiscopi.

Cassata sane in hunc modum electione præfata, procuratores regis Angliæ et episcoporum Cantuariensis ecclesiæ suffraganeorum, literas

Richard,
chancellor of
Lincoln,
elected.

¹ Coventrensem et Roffensem episcopos, et dilectum filium,] wanting in C.

A.D. 1229.
Election of
Richard to
the see of
Canterbury.

de rato eorundem, tam regis quam episcoporum, in domini papæ præsentia exhibentes proposuerunt de magistro ¹Richardo, Lincolniensis ecclesiæ cancellario, quod esset vir eminentis scientiæ et literaturæ ac conversationis honestæ, quodque tam ecclesiæ Romanæ quam regi et regno Angliæ esset non mediocriter fructuosus, atque modis omnibus coram domino papa ejus personam commendantes dictum papam trahunt cum suis cardinalibus ad consensum; sicque memorato Richardo non electo ad archiepiscopatum, ²sed dato, dominus papa suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ literas in hæc verba direxit; ‘Gregorius episcopus, et cætera. Ex commissa nobis a Domino cura pastoralis officii, et concessa, licet immeritis, plenitudine ecclesiasticæ potestatis, cogimur ecclesiarum omnium, per quotidianam instantiam, sollicitudinem et curam gerere, eisque cum necessitas ingruerit, et ex justitiæ debito et ex gratiæ beneficio, paterna diligentia providere. Inter cæteras autem particulares ecclesias et metropoles universas ad Cantuariensem ecclesiam, tanquam ad nobilissimum sedis apostolicæ membrum, in ejus opportunitatibus oculos considerationis expandimus, quam mater ecclesiarum, apostolica sedes, tanto benigniori debet favore prosequi, quanto eam inter alias divina dispositio in spiritualium plenitudine et temporalium ubertate gratia prætulit ampliori. Hanc etenim velut paradisum

¹ *Richardo.*] In the Waverley Annals is a note to the effect that, until this individual, no two archbishops of Canterbury had borne the same names. The successor of Becket was the first Richard.

² *Sed dato.*] Tyrrell remarks, that this was a new encroachment, and the first archbishop

that ever the pope took upon him to nominate, without a previous election by the convent or bishops; vol. ii. p. 866. In the Chronicle of Dunstable it is said, that, the election of Walter being declared void, the monks for that turn had lost their privilege; p. 186.

voluptatis et hortum deliciarum ordinatione sua plantavit Altissimus, de qua producere valuit lignum scientiæ boni et mali in institutione dignitatis metropolitæ, lignum vitæ in ordine religionis monasticæ et regularis observantiæ disciplina, ligna pomifera in suffraganeis, quæ per operationem sanctam delectant in visu, per fidelem doctrinam confortant in gustu, per opinionem bonam recreant in olfactu. De eodem loco fluvius egreditur, per quem gloriosissimi Thomæ martyris sanguis exprimitur, qui dum vitam mortuis, sanitatem ægrotis, libertatem servis et audaciam timidis contulit, inde progrediens in quatuor procul dubio capita derivatur; cujus miraculorum excellentium signa dum sollicita meditatione discutimus, raras et insolitas divinæ plantationis delicias invenimus. Hujus itaque paradisi ¹custode, bonæ memoriæ Stephano, quondam Cantuariensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali, viro utique preminentissime donis scientiæ et munere gratiæ supernis carismatibus delibuto, erepto de carnis ergastulo, et ad paradisi cælestis jocunditatem et requiem, sicut speramus et credimus, evocato, dilecti filii Cantuariensis conventus electionem celebratam ab eis de Waltero, monacho Cantuariensi, nobis præsentare curarunt; qua post cognita electionis merita, et examinata personæ literatura, justitia mediante, cassata, hominem culminis, quem per vitam et scientiam, intellectum pariter et affectum, ad imaginem et similitudinem Dei conditum, habentem per salutarem doctrinam vitæ spiraculum, in paradiso, ut operetur et custodiat illum, duximus collocandum, magistrum Richardum, Lincolnæ cancellarium, quem

A.D. 1229.
Election of
Richard to
the see of
Canterbury.

¹ *Custode.*] ‘Custodie’ in MS.

A.D. 1229.

tam ex fratrum nostrorum, qui eum in scholis noverunt, quam ex venerabilium fratrum nostrorum Roffensis et Coventrensis episcoporum et aliorum plurium testimonio, virum didicimus eminentis literaturæ, conversationis honestæ, famæ integerrimæ, excellentissimæ industriæ, zelatorem animarum et ecclesiasticæ libertatis, Cantuariensis ecclesiæ, de fratrum nostrorum consilio, præsentibus præfatis episcopis, præficimus in archiepiscopum et pastorem. Quapropter fraternitatem vestram monemus et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus, tanquam caritatis filii et devotionis, ipsum, ad honorem omnipotentis Dei et apostolicæ sedis et Cantuariensis ecclesiæ, recipientes cum humilitate debita et devotione sincera intendatis eidem, et tanquam patri et pastori animarum vestrarum et metropolitano vestro obediatis humiliter et devote. Gaudere quidem debetis in Domino, quod illius gratia principaliter cooperante, qui inspirando prævenit et ¹adjuvando prosequitur, provisum est laudabiliter ecclesiæ viduatæ. Data, et cætera.

*Quomodo terra sancta restituta est Frederico
imperatorii.*

The emperor
recovers the
Holy Land.

Eodem anno Dominus noster Jesus Christus, Salvator et omnium sæculorum Consolator, visitans misericorditer plebem suam, civitatem sanctam Hierusalem, et terram totam, quam Dominus idem et Redemptor noster, Dei Filius, suo sanguine consecravit, precibus universalis ecclesiæ, generaliter populo Christiano, specialiter vero Romanorum imperatori restituit Frederico. Fuit autem aliquid beneplacitum Domino in po-

¹ *Adjuvando.*] ‘*Adjuvantem*’ in MS.

pulo suo, qui exaltat mansuetos in salutem, ut A. D. 1229. faceret vindictam in nationibus et dissensiones in gentibus Saracenis. Erat enim in diebus istis Soldanus Babyloniæ domesticis undique præliis tam graviter oppressus, quod, ne minus sufficeret ad plura, coactus est cum imperatore mediantibus ¹treugis decennialibus componere, ac terram sanctam populo sine sanguinis effusione reddere Christiano. Sicque missum est a Domino bellum bonum, ut rumperetur pax mala; sed hujus gratiæ divinæ beneficium, ut legenti clarius illucescat, literas legat Romani imperatoris auro bullatas, quas Henrico Angliæ regi in hæc verba direxit;

Epistola imperatoris ad regem Anglorum de præmissis.

‘ Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator, His letter to Henry III. semper augustus, Hierusalem et Siciliæ rex, carissimo amico suo Henrico, Anglorum regi, salutem et sinceræ dilectionis affectum. ²Lætentur et exultent omnes in Domino, et glorientur pariter recti corde, qui, ut notam faceret potentiam suam, non in equis aut curribus gloriatur, nunc dedit sibi gloriam in paucitate virorum, ut cognoscant et intelligant omnes, quod ipse sit gloriosus in majestate, terribilis in magnificentia, mirabilis in consiliis super filios hominum, pro voluntate sua tempora mutans et diversarum corda gentium in unum convertens, cum in paucis diebus istis miraculose potius quam fortitudine illud negotium sit peractum, quod a longis temporibus retro actis multi principes et diversi orbis potentes in multitudine gentium nec per vires quantum-

¹ Treugis.] The heads of the treaty, with the notes of Geroldus, patriarch of Jerusalem, are printed by Raynaldi, ii. p. 6.

² Lætentur et exultent.] Compare Raynaldi, ii. p. 7; and Ricard. de S. German. col. 1011, seq. Continuat. Will. Tyr. p. 698.

A. D. 1229.
The emperor's letter
to Henry.

cunque grandes, nec per metum aliquem, facere hucusque modo quolibet potuerunt. Ne igitur desiderium vestrum longus sermo diu teneat in suspenso, ¹sanctitati vestræ cupimus esse notum, quod nos habentes spem nostram in Deo firmiter, et credentes quod Jesus Christus Filius ejus, pro cuius servitio corpus et animas exposuimus sic devote, nos in tam ignotis et remotis regionibus non relinqueret, quin saltem pro honore et gloria et laude sua consilium et auxilium nobis tribueret salutare; in ipsius autem nomine ab Achon procedentes fiducialiter quinto decimo die mensis Novembris proximo præteriti prospere venimus apud Joppen, ut, castro loci ejusdem reædificato fortiter ²ut decebat, in Hierusalem sanctam civitatem eundi postmodum, tam nobis quam omni populo Christiano, non solum facilius, immo brevior et securior, pateret accessus. Igitur sub fiducia divinæ spei nobis apud Joppen existentibus, et super reædificatione castris, prout exigebat rei necessitas et causa Christi, intendentibus magnifice, ut decebat, dum a nobis et peregrinis omnibus sollicitè agerentur hæc omnia, de Soldano Babyloniarum ad nos, et a nobis ad Soldanum eundem, nuntii plures et pluries venerunt et redierunt hinc inde; ipse etenim et alius Soldanus, qui Xaphat dicitur, frater ejus, apud civitatem Gazam diffusum habentes exercitum dièta una distabant a nobis; ex alia vero parte in civitate Sichen, quæ Neapolis vulgo nominatur et in campestribus locis sita est, Soldanus Damasci, nepos eorum, cum innumera multitudine militum et peditum gentis

¹ *Sanctitati.*] The reviser of our manuscript has marked this word for correction. In the Cotton MS. of Paris, collated by

Wats, 'sinceritati' had been substituted.

² *Ut decebat.*] 'Ut dicebatur' in C.

suae prope nos et Christianos ad unam dietam similiter morabatur. Et cum de restitutione terrae sanctae ab alterutra partium tractaretur, tandem Jesus Christus, Dei Filius, devotam patientiam nostram et patientem devotionem ex alto respiciens, compatiendo misericorditer nobis in semetipso, sic fecit, quod Soldanus Babyloniae Hierusalem civitatem sanctam nobis restituit, locum videlicet ubi steterunt pedes Christi, locum etiam ubi veri adoratores in spiritu et veritate Patrem adorant. Ut enim de restitutione huiusmodi certos vos faciamus per singula, noveritis quod non solum restitutum est nobis corpus civitatis praedictae, sed contrada tota, sicut descendit inde usque ad maritimam castrum Joppen, ut peregrini de caetero processum liberum ad sepulchrum habeant securumque regressum; hoc tamen adjecto, quod, cum Saraceni illarum partium in veneratione maxima templum habeant, ad adorandum, secundum ritum eorum, ibi in figuram peregrinorum illuc frequenter accedant, ipsos de caetero libere permittamus venire, veruntamen quot voluerimus et sine armis, nec hospitabuntur in civitate, sed de foris, et continuo facta oratione recedant. Praeterea restituta est nobis civitas Bethleem, et tota terra media inter Hierusalem et civitatem ipsam; civitas Nazareth, cum tota terra media inter Achon et ipsam civitatem; tota terra Turonis, quae largissima est et ampla, et valde commoda Christianis; civitas Sydonis, cum tota planitie et pertinentiis suis, quae tanto erit de caetero gratior Christianis, quanto magis exstitit Saracenis et hactenus fructuosa, maxime cum portus ibi sit nimis congruus, et inde arma et necessaria multa ad civitatem Damasci, et de Damasco frequenter ad Babyloniam portarentur. Et quamvis

A. D. 1229.
The emperor's letter
to Henry.

A.D. 1229.
The emperor's letter
to Henry.

civitatem Hierusalem, sicut melius unquam fuit, reædificare nobis liceat, secundum pactum, necnon et castrum Joppen, castrum Cæsareæ, castrum Sydonis, et castrum sanctæ Mariæ Teutonicorum, quod fratres ipsius domus in montana Achon ædificare cœperunt, et ab olim nullo treugarum tempore permissum exstitit Christianis, ipse tamen Soldanus usque ad finem treugarum, quæ inter nos et ipsum per decennium sunt statutæ, ædificia vel castra aliqua de novo facere vel ædificare non debet. Sicque die Dominica, decimo octavo die mensis Februarii nuper præteriti, die scilicet in quo Christus Dei Filius a mortuis resurrexit, et in memoriam resurrectionis Dominicæ a Christianis omnibus tam generaliter quam solemniter colitur et veneratur in orbe, concordia hujusmodi hinc inde exstitit juramento firmata. Vere igitur nunc nobis et omnibus illuxisse denuo visus est dies ille, in quo angeli cecinerunt Deo, 'Gloria in excelsis Deo et in terra pax, hominibus bona voluntas.' Ad recognitionem vero tam grandis beneficii tantique honoris, quæ, præter merita nostra et contra opinionem multorum, ad perennem misericordiæ suæ laudem misericorditer contulit nobis Deus, et ut in loco suo sancto vitulum labiorum nostrorum personaliter offeremus eidem, noveritis, quod die sabbati, decimo septimo die mensis Martii hujus secundæ indictionis, cum peregrinis omnibus, qui nobiscum fideliter Christum Dei Filium sunt secuti, intravimus sanctam civitatem Hierusalem, et statim, tanquam catholicus imperator, adorato sepulchro Dominico reverenter, sequenti die ¹coronam portavimus, quam

¹ *Coronam.*] Frederic placed the crown upon his own head, amidst much pomp and circumstance supplied by the German and Teutonic knights. It was unattended, however, by any of the religious offices usual on such occasions; see Michaud, iii. p. 39.

Dominus omnipotens de throno majestatis suæ A.D. 1229. nos habendam prævidens de speciali gratia pietatis suæ inter orbis principes nos mirabiliter exaltavit, ut sic prosequentibus nobis tantæ dignitatis tripudium, quæ nobis competit jure regni, magis ac magis notorium universis appareat, quod manus Domini fecit hæc omnia; et, cum miserationes ejus super omnia opera sint ejusdem, cognoscant orthodoxæ fidei cultores de cætero, et enarrent longe lateque per orbem, quod Ille, qui est benedictus in secula, visitavit et fecit redemptionem plebi suæ, et erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui. Sane, priusquam de civitate recedamus sancta Hierusalem, de magnifica reædificatione ipsius turrium ac murorum suorum taliter ordinare proposuimus, et ita super hæc intendere volumus diligenter, quod non minor sollicitudo nec diligentia in absentia nostra habeatur inde, quam si personaliter super hoc ipsi essemus præsentés. Ut autem hæc præsens nostra epistola exultatione sit plena per totum, et sic limes ejus principio se adaptet in gaudiis, ut regalem animum pro voto lætificet, ad incrementum lætitiæ et totius gaudii præcedentis, amicitia vestræ cupimus esse notum, quod Soldanus prædictus omnes captivos illos, quos secundum pactum inter Christianos et ipsum habitum tempore quondam Damietæ perditæ non reddidit, et alios, qui postea capti fuerunt, restituere nobis debet modo. Data apud civitatem sanctam Hierusalem decimo septimo die mensis Martii, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono.'

*De signis præcedentibus hanc restitutionem terræ
sanctæ.*

A.D. 1229.
Signs
preceding
the recovery
of the Holy
Land.

Notandum vero est in hac terræ promissionis et Hierusalem sanctæ civitatis restitutione populo Christiano, quod sicut ante hoc generale gaudium et totius Christianitatis tripudium astronomi Tholetani scripserunt de planetarum concursu et ventorum tam horrendum diluvium, ita quod starent simul cum terræ motu et eclipsi, tam solis quam lunæ, velut paulo superius in gestis hujus anni scriptum est, eodem modo ante ejusdem terræ sanctæ et crucis Dominicæ captiōnem a Salaadino, viro perfido et cruento, et alii, qui tunc fuerunt astronomi ejusdem civitatis, scripserunt domino papæ Clementi sub hac forma; ‘Ab anno præsentis incarnationis Domini nostri Jesu Christi, qui est millesimus centesimus septuagesimus nonus, usque in septem annos, mense Septembri, sole existente in Libra et cauda Draconis, erit, si Deus pati voluerit, conventio planetarum in Libra et cauda Draconis, sed est admirabilis non mutabilium rerum mutationis significantia. Sequetur terræ motus terribilis, et destruentur loca consueta perditionis per Saturnum et Martem, manentes in signis atris et mortalitas et infirmitas. Ostendet etiam ea conjunctio ventum validum, denigrantem aerem et obscurum reddentem, venenis infectum, et in vento sonus erit terribilis destruens corda hominum; et a regionibus arenosis [sabulonem accipiet et arenis] civitates proximas in planitie sitas cooperiet, et primo civitates orientis le Mech, Babylonem et omnes civitates proximas locis arenosis; nulla quidem evadet, quæ arenis et terra non operiatur. Signa autem hujus rei hæc præcedent; erit in eodem anno, antequam

planetæ convenient in Libra, eclipsis solis, qua A. D. 1229. totum corpus ejus obscurabitur, et in oppressione præcedenti luna tota eclipsim patietur; et erit eclipsis solis ignei coloris et deformis, ostendens majorum bellum futurum cum effusione sanguinis prope fluvium in terra orientis et similiter in terra occidentis; et cadet dubietas et ignorantia inter Judæos et Saracenos, donec relinquunt penitus synagogas et mahumerias suas, et eorum secta jussu Dei penitus destruetur et annihilabitur; unde vobis notum sit, ut, quando eclipsim videritis, de terra exeatis cum omnibus vestris.'

Quod propter peccata hominum crux olim et terra sancta captæ erant a Salaadino.

Erat autem in diebus illis multa malitia hominum super terram, ita 'quod corruperat fere omnis caro coram Domino viam suam;' jam enim eo usque flagitiorum consuetudo prorupe- Saladin's previous victories permitted for the sins of the people. rat in populo, ut omnes, abjecto erubescentiæ velo, palam et passim ad turpia declinarent. Cædes, rapinas, adulteria, immunditias, mendacia, prodiones, dissolutiones ad turpia, longum est enumerare, præcipue nobis, qui res gestas describere destinamus. Veruntamen cum hostis ille antiquus corruptionis spiritum longe lateque disseminasset in orbe, specialius tamen Syriam occupavit, et unde cæteræ regiones susceperant religionis exordium, inde tunc totius immunditiæ sumebant exemplum. Hinc igitur Dominus et Salvator mundi, terram nativitatæ, passionis et resurrectionis suæ in turpitudinis abyssum corruisse conspiciens, hæreditatem suam sprexit, et virgam furoris sui, videlicet Salaadinum, in obstinatae gentis permisit exterminium debacchari; maluit enim terram sanctam

A.D. 1229.

per aliquantulum temporis spatium profanis gentium ritibus ancillari, quam illos diutius florere, quos ab illicitis nullius honestatis compescebat respectus. Hanc autem futuræ demolitionis instantiam casus prænosticabant diversi, fames scilicet valida, terræ motus frequens, tam lunæ etiam quam solaris defectus; sed et ventus ille validus, quem de planetarum concursu cum mortalitate et aeris intemperie astronomi Tholetani ex stellarum inspectione pronuntiaverant futurum, in hujus rei significationem procul dubio commutatus migravit; vere enim ventus erat validus, qui quatuor mundi cardines concussit, ac orbem universum ex gentibus excitandum in seditiones et prælia ac terræ sanctæ exitium præmonstravit. Mansit autem sub potestate inimicorum Christi civitas sancta Hierusalem et terra promissionis tota, cum vivifica cruce Dominica, per annos quadraginta duos, usque in annum præsentem, qui est ab incarnatione Domini millesimus ducentesimus vicesimus nonus, quando venit tempus miserendi Domini, ut respiceret in orationes humilium et reedificaret Syon, ut videretur in gloria sua, in loco videlicet sanctæ nativitatis, passionis et resurrectionis suæ, et audiret gemitus compeditorum et absolveret filios peremptorum. Vere et absque omni ambiguitate audivit Dominus gemitus compeditorum in hac restitutione terræ sanctæ, quæ istis diebus facta est per diligentiam imperatoris Frederici, cooperante clementia divina; dum per pactum inter ipsum habitum et Babyloniam Soldanum omnes captivi, qui erant in paganismo compediti et ad vilissima quælibet servitutis genera addicti, modo a jugo servitutis liberati venerunt in sanctam civitatem Hierusalem et apparuerunt multis, et, factis orationibus in locis venerabilibus

sanctæ civitatis, reversi sunt per diversas orbis A.D. 1229. partes in regiones suas, laudantes et benedictentes Deum in omnibus, qui audierant et viderant, quæ fecit Dominus mirabiliter et ostendit eis.

De reconciliatione sanctæ civitatis Hierusalem et aliorum locorum.

Ingressus est igitur, ut diximus, sanctam civitatem Hierusalem exercitus Christianus, et patriarcha cum episcopis suffraganeis mundificavit templum Domini et ecclesiam sancti sepulchri, sanctæque resurrectionis ejusdem, cum aliis ecclesiis venerabilibus civitatis; abluentes pavementum et parietes aqua benedicta, et agentes processiones in hymnis et canticis, reconciliaverunt Deo loca universa diuturnis infidelium sordibus prophanata; verum quamdiu imperator, qui excommunicatus fuerat, intra urbis mœnia moram fecit, nullus prælatorum in ea missam celebrare præsumpsit. Magister tamen Walterus, frater quidam de ordine Prædicatorum, vir religiosus, providus ac discretus, qui a domino papa officium prædicationis in exercitu Christi suscepit, quod multo jam tempore feliciter impleverat, celebravit divina in ecclesiis suburbanis, unde devotionem fidelium plurimum excitavit. Deinde prælatis singulis, tam minoribus quam majoribus, ac viris religiosis, ecclesiis suis sibi restitutis et possessionibus antiquis, gaudentibus cunctis super donis cælestibus, quæ præter spem omnium acciderant, intenderunt unanimiter cum peregrinis omnibus ad reædificationem civitatis, et muros cum fossatis, turresque cum propugnaculis, magnis sumptibus ac studiosis laboribus reparantes; nec solum acta sunt hæc in civitate sancta Hierusalem, sed et in omnibus civitatibus

Entry of the Christians into Jerusalem.

A.D. 1229. et castellis illius terræ, quam Dominus Jesus Christus suis sanctis pedibus calcavit et suo sacro sanguine consecravit.

Hic ponuntur quidam excessus, in quibus papa ostendit imperatorem esse reum.

The pope's
causes of
complaint
against the
emperor.

Venit eodem tempore in Angliam magister Stephanus, domini papæ capellanus et nuntius ad regem Anglorum, missus ut colligeret decimas domino papæ a nuntiis ipsius regis Romæ promissas ad guerram suam sustinendam contra imperatorem Romanorum susceptam; audierat enim idem papa de imperatore præfato multa detestanda, quæ faciebat contra legem Christianam, quorum tenorem in scriptum redigens per diversas orbis partes literis apostolicis publicare curavit. ¹Proposuit autem contra eum in primis, quod in die annunciationis beatæ Mariæ, cum esset excommunicatus, intravit ecclesiam sepulchri sancti in Hierusalem et ibi ante majus altare propria manu sese coronavit, et ita coronatus resedit in cathedra patriarchatus et ibi prædicavit populo, excusando malitiam suam et accusando ecclesiam Romanam, imponens ei, quod injuste processerat contra eum; et sic egressus ab ecclesia in comitatu satellitum suorum, sine omni persona ecclesiastica, portavit coronam usque ad palatium Hospitalis. Item in palatio suo Achonensi fecit convivari Saracenos, et fecit eis habere mulieres Christianas saltatrices ad ludendum coram eis, et, ut dicebatur, commiscebantur eis. Item, foedus quod iniit cum Soldano, nemo scivit qua conditione tractatum fuit inter eos, nisi ipse solus; veruntamen

¹ *Proposuit autem.*] The form of the sentence of excommunication against Frederic, in which are re- counted the principal reasons for proceeding to such an extremity, is printed in Raynaldi, ii. p. 12.

manifeste videbatur, quod magis approbaret, secundum quod perpendi poterat per gestus exteriore, legem Saracenorum, quam legem fidei nostræ, quia in multis ritus ipsorum imitatus est. Item, in scripto quod est inter ipsum et Soldanum, quod lingua appellatur Arabica ‘mosepha,’ continetur, quod, durantibus treugis, ipse iuravit eum contra omnes homines Christianos et Saracenos, et e converso Soldanus ipsum. Item, spoliavit canonicos sanctæ crucis in Achon a quibusdam redditibus, quos recipere debebant in portu Achonensi. Item, spoliavit archiepiscopum Nichossiensem in Cypro. Item, protexit quendam episcopum Surianorum potentia seculari, contra patriarcham, ab excommunicato et schismatico ordinatum. Item, spoliavit canonicos sancti sepulchri oblationibus ipsius sepulchri, et patriarcham oblationibus Calvariæ loci et loci Golgatha, et canonicos sancti templi oblationibus suis, et per manus satellitum suorum fecit omnes oblationes istas colligere, propter quod factum frater Walterus excommunicavit eum in civitate Hierosolymorum et omnes satellites suos. Item, in die Palmarum prædicatores de pulpito, ubi prædicabant, viliter et violenter fecit dejici et crudeliter tractari et incarcerari. Item, infra passionem Domini obsedit patriarcham et episcopos Wintoniensem et Exoniensem et Templarios in domibus suis, et, cum vidit se non posse prevalere, confusus dimisit. His igitur de causis, licet aliæ non desint, quicquid egit in terra sancta pro nihilo reputans dominus papa movit guerram contra ipsum, asserens justum esse et fidei Christianæ necessarium, ut tam validus ecclesiæ persecutor a fastu imperii depellatur; et, quod his omnibus detestabilius est, contra matrem suam Romanam ecclesiam tam gravem excita-

A. D. 1229.
The pope's
charges
against the
emperor.

A. D. 1229. verat persecutionem, ita quod castella ejus cum terris et possessionibus occupavit, et velut hostis publicus detinet occupatas.

De decimis Gregorio papæ ab Anglia collatis.

Stephen, the nuncio, arrives, to collect the tithes promised the pope.

Per idem tempus, cum magister Stephanus, domini papæ capellanus et nuntius, regi Anglorum negotia ipsius papæ et sui causam adventus ostendisset, fecit rex convenire apud Westmonasterium Dominica, qua cantatur ¹‘*Misericordia Domini,*’ archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, Templarios, Hospitalarios, comites, barones, ecclesiarum rectores, et qui de se tenebant in capite, ad locum præfixum et diem, ut audirent negotia memorata et de rerum exigentiis communiter tractarent ibidem. Omnibus igitur congregatis, tam laicis quam prælatis, et eorum subjectis, magister Stephanus coram omnibus recitavit literas domini papæ, in quibus exigebat decimas omnium rerum mobilium de tota Anglia, Hibernia et Wallia, ab universis laicis et clericis, ad guerram suam sustinendam, quam contra Romanum imperatorem susceperat Fredericum. Ostendit autem in literis memoratis, quod ipse solus hanc expeditionem susceperat pro universali ecclesia, quam dictus imperator jam diu excommunicatus et rebellis subvertere nititur, sicut evidentibus apparet indiciis; unde, divitiæ sedis apostolicæ cum non sufficiant ad ipsum exterminandum, necessitate compulsus ab universis ecclesiæ filiis implorat auxilium, per quod expeditionem inchoatam et in parte jam feliciter prosperatam perducere valeat ad desideratum effectum. Persuadet denique dominus papa, in conclusione negotii, singulis ecclesiæ membris,

¹ *Misericordia Domini.*] The second Sunday after Easter, in this year the 29th of April.

quatenus sicut filii naturales ecclesiæ Romanæ, quæ mater est omnium ecclesiarum, potenter subveniant, ne, quod absit, ipsa deficiente, membra cum capite succumbere videantur. His et aliis in hunc modum in authentico domini papæ patenter expressis, persuasit magister Stephanus omnibus qui aderant, ut consentirent, allegans honorem et commodum, ¹quæ possent exinde obtemperantibus provenire. Rex autem Anglorum, a quo cæteri omnes sperabant habere defensionis auxilium, qui Romæ per procuratores suos, ut supradictum est, ad decimas solvendas fuerat obligatus, non potuit contradicere; et, cum nihil responderet, visus est tacendo consensum præbere. Comites vero et barones ac laici omnes plane decimas se daturus contradixerunt, nolentes baronias suas vel laicas possessiones Romanæ ecclesiæ obligare. Episcopi quoque, abbates, priores et alii ecclesiarum prælati, post trium vel quatuor dierum deliberationem et murmurationem non modicam, tandem consenserunt, metuentes excommunicationis sententiam vel interdicti sibi inferri, si mandatis apostolicis obviarent. Tunc magister Stephanus prælatis omnibus literas domini papæ procuratorias ostendit, quibus idem papa ipsum ad dictas decimas colligendas procuratorem constituerat, ut non secundum taxationem factam in vicesima, quæ paulo ante regi data fuerat pro libertatibus obtinendis, sed secundum quod melius possunt, ad commodum domini papæ, et uberius omnia bona et mobilia singulorum taxari; videlicet de omnibus redditibus, proventibus, fructibus carrucarum, oblationibus, decimis, nutrimentis animalium et fructibus, et de omnibus obventionibus

A. D. 1229.
Tithes
claimed by
the pope's
nuncio.

¹ *Quæ possent.*] In MS. 'qui posset.'

A. D. 1229.
Tithes
claimed by
the pope's
nuncio.

ecclesiarum vel aliarum possessionum, quocumque nomine censeantur, non aliquibus debitis vel expensis aliqua occasione deductis. Habuit etiam ex eisdem literis auctoritatem contradictores excommunicandi et ecclesias interdicendi; unde, constitutis procuratoribus suis in singulis comitatibus regni, omnes illos excommunicavit, qui circa decimas ipsas reddendas vel taxationem faciendam per se, vel per alium, colludium, pactum iniquum, subtractionem vel fraudem aliquam duxerint faciendam. Et, quoniam negotium festinum exigebat auxilium, prælatis omnibus et aliis sub pœna excommunicationis indixit, ut vel mutuo, vel alio quocumque modo, pecuniam perquisitam sibi traderent indilate, ut eam domino papæ incontinenti transmitterent, eandem postmodum, decimis singulorum rite taxatis, plenarie recepturi. Erat enim idem papa tot et tantis involutus debitis, ut, unde bellicam quam susceperat expeditionem sustineret, penitus ignoraret. Et sic soluto concilio, murmurantibus cunctis, recesserunt.

De exactione gravissima dictarum decimarum.

The grievous
exaction of
them.

Et, his ita gestis, misit incontinenti literas suas magister Stephanus ad singulos episcopos, abbates, priores et cujuscumque professionis viros religiosos regni, sub pœna interdicti et excommunicationis præcipiens, ut tali die tantam pecuniæ summam sibi transmitterent de moneta ad pondus denarii probata et nuper fabricata, ut inde creditoribus domini papæ satisfacere posset et ipsi pœnas evaderent interdicti; erat enim in hujus rei exsecutione adeo improbus exactor, ut etiam de frugibus autumnii futuri, quæ adhuc in herba crescebant, singulos compelleret decimarum sibi pretium exhibere. Prælati vero,

aliud remedium non habentes, calices, phialas, A.D. 1229. philacteria et alia sacra altaris vasa, quædam vendiderunt, nonnulla ¹in pignus sub fœnore posuerunt. Continuis maledictionibus, sed occultis, repleta est terra, imprecantibus cunctis, quod nunquam talis exactio suis fiat exactoribus fructuosa. Solus comes Cestrensis Ranulphus, nolens terram suam redigere in servitutem, non permisit de feodo suo viros religiosos vel clericos decimas memoratas conferre, quamvis Anglia et Wallia, Scotia et Hibernia ad solutionem compellantur. Hoc autem multis in hac decimatione solatium præbebat et levamen, quod regna transmarina et longe posita non sunt ab ista exactione quieta. Cumque tandem istarum plenitudo divitiarum ad summum pontificem pervenisset, ipse Johanni de Breisnes et aliis militiæ suæ principibus ita affluenter eas distribuit, quod graviter cessit in damnum imperatoris, dum municipia ejus et castella in ejus absentia subvertebant. Eodem anno magister Robertus de Bingham, Saresbiriensis electus, apud Septoniam munus consecrationis suscepit, sexto kalendas Junii, per manum Willelmi, Wigorniensis episcopi, adstantibus episcopis, Jocelino Bathoniensi, et Alexandro Coventrensi. Eodem tempore rex Anglorum

¹ *In pignus sub fœnore posuerunt.*] Anticipating the difficulty that might arise to the clergy and others of meeting the demands made upon them in this iniquitous tax, the legate, it appears, had brought with him certain money-lenders, who, at an enormous interest, supplied the required sums. These usurers are afterwards spoken of by Matthew Paris under the title of Causrini, from, as he says, 'causantes vel capientes et ursini,' as a 'pestis

abominanda,' who involved king and subject alike within their net. The instance here recorded appears to have been the commencement of the system of money-lending, afterwards practised by the Italian merchants until the reign of Edward the third. The reader may find a very interesting paper upon this subject, by Mr. Bond of the British Museum, in the *Archæologia*, vol. xxviii. p. 207.

A. D. 1229. Henricus, in die Pentecostes, Johannem filium Huberti, Angliæ justiciarii, cingulo militari donavit tertio nonas Junii.

De consecratione Richardi Cantuariensis, Rogeri Londinensis et Hugonis Eliensis, episcoporum.

Consecration of the archbishop of Canterbury.

Eodem tempore, in die sanctæ Trinitatis, convenientibus Cantuariensis ecclesiæ suffraganeis apud eandem civitatem, consecratus est magister Richardus, Cantuariensis electus, per manum Henrici, Roffensis episcopi, sine pallio, ita quod licuit ei vel ordines celebrare vel ecclesias dedicare. Consecrati sunt etiam cum eo eodem die, per ministerium ejusdem episcopi, ante majus altare in ecclesia sanctæ Trinitatis, Rogerus electus Londinensis et Hugo Eliensis, quarto idus Junii.

De magno apparatu regis Anglorum ad transfretandum congregato.

Preparations at Portsmouth for the king's passage into France.

Sub eisdem diebus, instante festo sancti Michaelis, rex Anglorum Henricus congregavit apud Portesmue totam nobilitatem regni Angliæ, comites, videlicet, barones et milites, cum tanta equitum ac peditum turba, quantam nullus antecessorum suorum aliquo creditur tempore congregasse; ubi etiam venerunt ad eum de regionibus Hiberniæ, Scotiæ, Walliæ et Galwalliæ tanta militum et armatorum multitudo, quod admirationi omnibus habebantur; proposuit namque rex cum tanta armatorum copia transfretare, ut terras, quas pater amiserat, in suum dominium revocaret. Demum, cum principes et mareschalli militiæ regis ad naves venissent, ut victualia ingererent et arma, adeo paucas invenerunt naves, ut non sufficerent ad medietatem exercitus transferendum; quod verbum cum ad regis notitiam

pervenisset, iratus est vehementer et crimen totum in Hubertum de Burgo, justiciarium, refundere curavit, et, audientibus cunctis, vocavit eum senem proditorem, impropere ei, quod hunc procuravit defectum pro quinque millibus marcis, quas a regina Francorum acceperat, ut suum propositum impediret, et gladium quasi furia in- vectus rex educens voluit justiciarium interficere; sed comes Cestrensis Ranulphus, et alii qui aderant, sese interponentes ipsum a mortis discrimine servarunt; at ille a regis præsentia se subtrahit, donec ira rex deposita animum mitigaret. Applicuit interea in portu illo comes Britanniae Henricus¹ septimo idus Octobris, qui regem conducere debuit in terram suam sub salvo conductu, sicut conductum fuerat inter eos et sacramento firmatum; sed idem comes, cum aliis sapientibus de exercitu, dederunt regi consilium, ut negotium differret inceptum usque ad sequens Pascha, quia periculosum erat tempore hyemali iter tam arduum expedire; quo audito, rex licentiam dedit omnibus ad propria revertendi, et justiciarius cum rege pacificatus est. Comes autem Britanniae regi fecit homagium contra omnes homines de Britannia; et rex reddidit ei totum jus suum in Anglia, et, datis ei quinque millibus marcis ad custodiam terræ suæ, remisit eum in regionem suam. Eodem anno Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, pallium sibi a domino papa transmissum suscepit nono kalendas Decembris, et apud Cantuariam in ecclesia cathedrali, præsente rege et suffraganeis episcopis, divina cum ipso pallio celebravit.

¹ *Henricus.*] The name of the earl of Brittany at this time was Peter, surnamed Mauclerc, son of Robert II., comte de Dreux;

Henry was the name of the duke of Burgundy. See Raynaldi, ii. p. 18.

De quodam fœneratore male mortuo.

A. D. 1229.
Death of
an usurer.

Erat hoc tempore in minori Britannia fœnerator quidam, qui pecuniam suam tribuens ad usuram immensum nummorum congregavit acervum. Hic, cum multoties ab episcopo loci increparetur, quod non licebat sibi de usuris rem augere, noluit audire episcopum, sed, licet non recte, strenuus rem augebat; cumque tandem ab episcopo incorrigibilis videretur, excommunicavit eum et ab unitate fidelium segregavit, quod ille parvipendens excommunicatus non multo post vitam miserabiliter terminavit. Quo sine viatico et confessione defuncto, uxor ejus et filii venerunt ad presbyterum villæ, rogantes ut corpus defuncti more ecclesiastico sepeliret; presbyter autem hoc facere recusavit, eo quod excommunicatus decessit, præcipiens ut in bivio extra villam sepelirent eum. Uxor autem defuncti hoc audiens venit ad comitem cum filiis, querimoniam coram eo deponens, quod presbyter ille parochianum defunctum noluit sepelire, causam reticens, quod excommunicatus obiisset. At comes contra presbyterum in iram versus jussit ministris suis, ut euntes ad presbyterum ex parte sua præciperent, quatenus mortuum sepeliret; quod si facere contradiceret, ipsum vivum cum mortuo sepelirent ligatum. Hoc cum factum esset, omnes episcopi Britanniae ipsum comitem sub anathemate concluserunt; unde suborta inter eos discordia, episcopi illi a comite omnes in exilium sunt expulsi, et comes excommunicatus remansit, donec sententia confirmaretur a papa.

Quod Fredericus, Romanorum imperator, reversus est in terram suam.

Eodem anno, cum Fredericus, Romanorum imperator, terram sanctam Christianitati restitisset et treugas decennales a Soldano Damasci impetratas juramento hinc inde confirmasset, in die inventionis sanctæ Crucis naves ascendit, ut, transito mari Mediterraneo, reverteretur in terram suam; sed quoniam audierat, quod a Johanne de Breisnes insidiæ sibi parabantur in portibus cismarinis, inconsulte timuit applicare, et, ne de ejus captione gauderent inimici illius, in tuto loco applicuit, præmissis exploratoribus suis, qui conduxerunt illum ad portum securitatis et salutis. ¹Cum autem prospere in Sicilia applicuisset cum modico comitatu, audivit quod æmuli ejus jam castella multa subjugaverant et municipia, et quod etiam per terras imperii liberum haberent discursum, cum non esset qui eis obviaret; sed, cum tandem ejus divulgaretur adventus, confluebant ad eum homines imperii naturales, qui per fidelitatem ei fuerunt astricti, quibus vallatus et ex aliis adventantibus confortatus audacter prorupit in hostes et terras amissas ac castra cœpit paulatim revocare.

A.D. 1229.
Return of the
emperor to
Germany.

Quod rex Anglorum ad Natale fuit apud Eboracum.

Anno Domini MCCXXX. rex Anglorum Henricus ad Natale tenuit curiam suam cum rege Scotorum apud Eboracum, quem ad illud festum invitaverat, præsentem archiepiscopo civitatis, cum comitibus, baronibus, militibus et familia magna nimis, ubi dicti reges multa distribuebant festiva

A.D. 1230.
The king
keeps the
feast of
Christmas
at York.

¹ *Cum autem.*] See a more particular account of the successes of the emperor, from Conrad, R. de S. Germano, etc. in Raynaldi, ii. p. 9.

A. D. 1230.

suis militibus indumenta. Rex autem Anglorum prodiga liberalitate regi Scotorum contulit equos pretiosos, cum annulis multis ac gemmis; atque, festo per triduum continuato, epulabantur quotidie splendide, tantam solemnitatem in exultatione et lætitia celebrantes. Die autem quarto, concione soluta, rex Scotorum in suam revertitur regionem, rex Anglorum Londonias properabat.

Thunder
storm in
London.

Contigit eodem tempore, in die scilicet conversionis sancti Pauli, in urbe Londoniarum, dum episcopus civitatis in ecclesia cathedrali ante majus altare staret infulatus ad celebrandum divina, præsentem populo civitatis ob honorem beati Pauli congregato, quod tanta subito in aere facta est nubium densitas et solaris obnubilatio claritatis, ut vix socius socium in ecclesia videre posset. Admirantibus cunctis et diem iudicii suspectum habentibus, facta est repente tonitruum adeo horribilis super ecclesiam concussio, ut ipsa ecclesiæ fabrica tota cum turri eminentissima super capita omnium ruere videretur. Ex illa autem collisione nubium tanta fulminis exivit coruscatio, ut tota ecclesia intus ignea videretur; nec defuit fœtor inter hæc omnia, sed ita intolerabilis habebatur, ut omnes qui aderant exstingui timerent, sicque ad millia utriusque sexus hominum, qui in ecclesia erant, nihil verius quam mortem suspicantes, rapido cursu monasterio exierunt attoniti et corruentes in terram sine sensu aliquandiu manserunt. Solus ex omni multitudine episcopus, cum uno tantum diacono, ante majus altare sacris vestibus indutus remansit intrepidus expectans Domini voluntatem. Aere tandem purgato, cum omnis multitudo evadendi fiduciam concepisset et ecclesiam iterum fuisset ingressa, episcopus residuum missæ devote complevit.

Facta est autem super hoc casu totius civitatis A.D. 1230.
 non modica admiratio, metuentibus cunctis, ne
 magnum aliquid et insolitum prognosticaret fu-
 turum. Eodem anno, tempore Quadragesimali,
 imperator Romanus contra hostes suos ita in-
 valuit, quod castra sua et jura omnia ad impe-
 rium spectantia potenter revocavit; quoscumque
 in castellis suis ex adversariis cepit, aut vivos
 excoriavit, aut patibulo suspendit. Johannes
 vero de Breisnes, qui hostis ejus erat publicus,
 metuens incidere in manibus illius, fugit in Gal-
 lias ad natale solum. Et sic,¹ mediantibus amicis
 et viris religiosis, statutæ sunt treugæ inter do-
 minum papam et ipsum imperatorem, quousque
 in aliquam pacis formam convenirent. Per idem
 tempus² Willelmus de Brausia, vir nobilis et po-
 tens, a Loelino, principe Walliarum, patibulo sus-
 pensus est mense Aprili, cum uxore ejus, ut
 dicebatur, in adulterio deprehensus.

Eodem tempore, ad exactionem regis, archie-
 piscopi, episcopi, abbates et priores per Angli-
 am totam regi eidem pecuniam dederunt non
 modicam, quasi per eam subtracta patri suo
 jura posset revocare in partibus transmarinis.
 Cives Londinenses pro eodem negotio ad red-
 emptionem gravissimam sunt compulsi; Judæi
 etiam tertiam partem rerum suarum omnium,
 vellent nollent, persolverunt.

*Quod rex Anglorum cum exercitu transit in
 Britanniam.*

Rex Anglorum Henricus in solemnitate Pas- Expedition
into Bri-
tanny.
 chali apud Radingum congregavit exercitum

¹ *Mediantibus amicis et viris religiosis.*] For the terms of the treaty, *ib.* p. 21.
² *Willelmus de Brausia.*] See above, p. 173, *note.*

A. D. 1230.
Expedition
into Bri-
tanny.

copiosum valde, omnium videlicet nobilium regni, qui sibi debebant servitium militare, et aliorum innumerabilium ex regionibus diversis, qui inde castra movens ad portum de Portesmue pridie kalendas Maii cum universa multitudine sua naves ascendit. Rex autem, procurantibus nautis suis, ¹in Britannia applicuit apud sanctum Mauloum quinto nonas Maii; multi quoque de exercitu regem sequi non valentes diversis applicuerunt in locis, sed, Deo id procurante, absque læsione ac rerum diminutione omnes ad regem in Britannia pervenerunt. Comes autem Britanniae regem reverenter et cum honore suscipiens tradidit ei municipia regionis illius et castella, nobilesque Britanniae multi ad eum venientes homagia fecerunt et fidelitatem ei juraverunt; ²Andreas tamen de Viteri, et alii viri nobiles pauci, ad fidelitatem regis venire contemnentes munierunt castra sua alimentis et ad pugnam viriliter sese præparabant. Rex autem Francorum, cum de adventu regis Anglorum certitudinem didicisset, congregavit exercitum valde copiosum, atque micantibus undique scutis et vexillis ad Andegavensem per-

¹*In Britannia applicuit.*] In the chronicle of William of Nangis two rebellions of the earl of Brittany are recorded, the one in 1228, the other in the following year. In the first of these Henry is reported to have crossed to his assistance, but, finding the French king too strong for him, 'cum pudore et ignominia versus Angliam, regem Franciæ pertimescens, velociter transfretavit;' *Rec. des Hist.* xx. p. 316. The accounts of this writer are not, however, borne out by public documents or contemporaneous historians.

²*Andreas tamen de Viteri.*] In the *Annales d'Aquitaine*, Robert de Vitré, brother of the earl of Brittany, is mentioned as one of the generals of the army raised by Blanche against the rebels, fol. 74. The letters of submission to the king by Andrew, declaring that he will never, without the king's consent, enter into any composition with the king of England or earl of Brittany, are printed by Martene, *Vett. Scriptt. Ampl. Collect.* tom. i. col. 1240. They are dated June, 1230.

venit civitatem, ubi castrametatus ibi moram protraxit non modicam, ut progressum regis Anglorum in Pictaviam præpediret. Rex vero Anglorum dum apud urbem Nannetensem majorem exspectabat adhuc numerum ex diversis partibus adventantium armatorum, rex Francorum cum exercitu suo quoddam debile municipium ¹Hodum appellatum obsedit, quod ab urbe Nannetis quatuor leucis vix distabat, atque levi conatu illud cepit et subvertit, et ad Andegavensem rediit civitatem. Eodem anno facta est ²eclipsis solis, contra morem solitum, summo mane confestim post ortum suum, pridie idus Maii, in Rogationibus, scilicet feria tertia, ita quod agricolæ et alii multi, labores mane inchoatos propter nimiam obscuritatem relinquentes, stratum repetere et sese iterum sopori dare decreverunt, sed tandem, quasi post unius horæ spatium, multis admirantibus, sol consuetam obtinuit claritatem. Eodem tempore ³dux Saxoniae, et regis Anglorum consanguineus, veniens in Angliam a civibus Londinensibus honorifice susceptus est; erat autem idem dux homo tantæ proceritatis et longitudinis, ut, cunctis admirantibus et quasi ad spectaculum accurrentibus, visum ex ipsius intuitu refecerunt.

A. D. 1230.
Expedition
into Brit-
tanny.

De discordia inter barones Galliae orta.

Habebant quoque hoc tempore guerram ad invicem omnes fere magnates Galliae, sicut dux

Dissensions
amongst the
French
barons.

¹ *Hodum appellatum.*] The castles of Oudon and Chantocéaux were taken, according to Nangis, in the preceding year; it was upon the taking of the latter, according to the same authority, that the earl of Britanny, astonished at the king's success, surrendered himself into his

hands; Rec. des Hist. tom. xx. p. 319.

² *Eclipsis solis.*] Calvisius, Chronolog. p. 802.

³ *Dux Saxoniae.*] Albert I.; he succeeded his father, Bernard III., in 1212, and died in 1260. He married Helen, daughter of Otho, duke of Brunswick.

A. D. 1230.
Dissensions
in France.

Burgundiæ, comes Bononiæ, ¹comes de Drius, comes de Mascu, comes sancti Pauli, comes de Bar, Engeramus de Curci, Robertus de Curtenai, et multi alii, qui jurati et confœderati erant, ut dicebatur, regi Angliæ et comiti Britanniaë Henrico; bellum indixerant comitibus Campaniensi et Flandrensi; qui omnes, impetrata licentia a rege Francorum, completis in obsidione Andegavia quadraginta dierum excubiis, reversi sunt in patriam suam. Quos rex, cum illos retinere non potuit, secutus est, ut, si possibile esset, eos discordes ad concordiam reformaret; sed, cum idem rex nobiles ad pacem reducere nullatenus potuisset, ingressi sunt cum equis et armis hostiliter comites terram comitis Campaniæ ²atque illam igne et ferro depopulari cœperunt. ³Comes vero Campaniæ cum ingenti armatorum copia hostibus occurrens prælium campestre commisit; at comites, tam sibi quam suis agminibus viriliter resistentes, ex militibus illius ducentos sub captione concluderunt et tredecim peremerunt. Quod cum comes Campaniæ cognovisset, campum per fugam deseruit, omni commilitonum suffragio destitutus, quem fugientem hostes acriter insequentes, et quoscumque attingebant in ore gladii prosternentes, non cessabant donec ipsum comitem infra portas Parisiæ civitatis cursu rapido intruserunt. Tunc, nolentes ulterius insequi illum, reversi in Campaniam spoliaverunt eam totam, castra et municipia complanantes, villas et urbes igne conflagrantes, vites

¹ Comes de Drius . . . Engeramus de Curci.] 'Le comte de Dreux, le comte de Mâcon, le comte de S. Paul, le comte de Bar, Enguerrand de Coucy;' Fr. Translat. Mat. Paris, iii. p. 444.

² Atque . . . cœperunt,] wanting in C.

³ Comes vero Campaniæ.] Theobald IV., surnamed le Grand; compare the account of this war as given by Joinville; Rec. des Hist. xx. pp. 203, seq.

et pomeria succidentes, extra ecclesias nihil intactum reliquerunt. Agebant autem contra comitem magnates quasi de crimine proditionis et reum læsæ majestatis, ut qui dominum suum regem Lodowicum in obsidione Avinionis ob amorem reginæ, quam amabat, veneno necaverat, ut dicebant; unde, cum iidem magnates in curia regis Francorum, eodem rege præsentem, querimoniam sæpe deposuissent et ipsum comitem per duellum convincere voluissent, regina, per quam omnia regni negotia disponebantur propter regis simplicitatem et puerilem ætatem, noluit eos audire. Quocirca ipsi, se a regis fidelitate subtrahentes et reginæ, Francorum regnum per guerram turbare cœperunt; indignabantur enim talem habere dominam, quæ, ut dicebatur, tam dicti comitis quam legati Romani semine polluta metas transgressa fuerat pudicitiae vidualis.

De strage Hiberniensium, et captione cujusdam regis.

Eodem anno, mense Julio, ¹regulus quidam de Connoth, Hiberniensis, cum regem Anglorum et Willelmum Marescallum cognovisset in finibus transmarinis bellicas agere expeditiones, atque regnum Hiberniæ quasi vacuum a subsidio militari, congregavit undique exercitum copiosum, sperans se posse omne genus Anglorum ab Hiberniæ finibus exturbare; ingressus igitur hostiliter terram regis Anglorum, spoliis et rapinis atque incendiis intendebat. Sed cum hæc omnia ad aures Gaufridi de Marisco, qui vices justiciarii sub rege in partibus illis gerebat, [venissent,] adjunctis sibi Waltero de Laschi cum Ri-

Disturbances
in Ireland.

¹ *Regulus quidam.*] Compare the account as given in the Annal. Buellian. Rer. Hibern. | Script. ed. O'Conor, tom. ii. part. iv. p. 39.

A.D. 1230.
Disturbances
in Ireland.

chardo de Burgo et exercitu non modico, contra hostes audacter prorupit, et, exercitum suum in tres turmas dividens, duabus præfecit Walterum de Laschi et Richardum de Burgo, tertiam sibi retinens ad regendum; atque duas acies instructas, quibus præerant prædicti Walterus et Richardus, occultavit in silvis quibusdam, per quas venturi erant hostes, et dolosas eis insidias præparavit; tertiam vero, quam ipse regebat, statuit, ut directa fronte adversariis occurrens ad campestre prælium eos provocaret. Tandem hostes supervenientes, cum unam tantum aciem gentis Anglorum conspexissent, irruerunt in eos, quasi sub spe certa victoriæ consequendæ; sed acies Anglorum tamdiu fugam simulavit, quousque Hibernienses illos insequentes loca insidiarum pertransissent. At illi, qui in insidiis erant, de latibulis erumpentes et aerem clamore horribili verberantes a tergo et a latere irruerunt in hostes; et acies, quæ prius fugerat, in Hibernienses a fronte revertens stragem eis miserabilem intulerunt, ¹interfecti namque referuntur ex Hiberniensibus ad viginti millia virorum bellicorum, et rex eorum captus est et carcerali custodiæ deputatus. Eodem tempore Fulco Paganellus² de Normannia, vir nobilis, et Willelmus frater ejus, relictis castellis suis ac terris, venerunt ad regem Anglorum in Britanniam, fidelitates ei et homagia facientes. Venerunt etiam cum eis ad sexaginta milites viri strenui et potentes, qui omnes persuaserunt regi, ut hosti-

¹ *Interfecti namque.*] ‘Parta est victoria contra Aedum filium Roderici, contra regem Connaiciæ, et contra Connachtenses, et expulsus est Aed filius Roderici, et occisus est Donnogh O’Oroch-tuig supremus dux clientelæ

Muredagi, et multi alii cum ipso occisi sunt;’ *Annal. Buellian. Rer. Hibern. Script. ed. O’Conor, tom. ii. part. iv. p. 39.*

² *Paganellus,*] or ‘Paisnel;’ see *Fr. Translat. Mat. Paris, iii. p. 447, note.*

liter Normanniam intraret, sub spe certa terram subjugandi; quorum rex consiliis libenter ad-^{A.D. 1230.}quiesceret, sed Hubertus de Burgo id fieri non permisit, dicens, periculosum fore hoc modis omnibus attemptare. Quod audientes milites prædicti postulaverunt regem propensius, ut assignaret eis ducentos milites de exercitu suo, cum quibus Normanniam intrarent, certissimis ei assertionibus promittentes, quod omne genus Francorum de Normannia exturbarent; nec etiam id fieri permisit Hubertus justiciarius, asserens, regi non expedire ut traderet milites suos ad mortem ultronea voluntate. Sicque nobiles illi miserabiliter illusi fuerunt, quia rex Francorum incontinenti exhæredavit eos, castella et omnia, quæ illorum erant, potenter in sua jura convertens.

Quod rex Anglorum in Gasconia profectus homagia cepit.

Et, his ita gestis, rex Anglorum per consilium Huberti de Burgo, cum exercitu suo ex Britannia per Andegaviam in Pictaviam transiens, profectus est in Gasconiam, ubi acceptis homagiis, et regione sub securitate disposita, rediit in Pictaviam, ubi multorum homagia suscepit. In hac quoque equitatione obsedit rex Mirebelli castrum et cepit laudabili virtute Anglorum, qui assultus audacissimos assidue iterantes violenter inclusos subegerunt, et recedentes omnes in vinculis abduxerunt. Hoc igitur tempore, mense Augusti, dominus papa Gregorius et Romanorum imperator Fredericus, mediantibus utrorumque ¹fidelibus et amicis, in concordiam convene-

Henry in
Gascony and
Poitou.

¹ *Fidelibus et amicis.*] Among the principal promoters of the peace were the archbishops of Rheggio and Salzburg, the mas-
ter of the Teutonic knights at Rome, the dukes of Austria, Carinthia, and Moravia, etc.; Raynaldi, ii. p. 21.

A.D. 1230.

runt; veniens enim Romam dictus imperator absolutus est, omnibus ad jura imperii spectantibus ex integro revocatis. Comederunt ergo simul magnus sacerdos et maximus imperator in palatio summi pontificis per triduum, gaudentibus cardinalibus et potentatibus imperii de concordia tam desperata et tam subito confirmata. Eadem tempestate comes Cestrensis Ranulphus munivit castellum apud sanctum Johannem de Beverona, quod ad jus uxoris suæ comitissæ jure hæreditario pertinebat, militibus, alimentis et armis; reddiderat enim illi castrum illud comes Britanniae Henricus, quando confœderatus regi Anglorum omnia jura sua in regno Angliæ, rege concedente, recepit.

De concordia facta inter regem Francorum et barones.

Peace concluded between the king of France and his barons.

Circa eosdem dies, mense Septembri, convenerunt ad colloquium rex Francorum et ¹regina mater ejus cum magnatibus illius regni, qui post mortem Lodowici regis guerram habuerant ad invicem, ut est superius dictum, ubi de pace tractantes talem concordiam firmaverunt; Provisum est autem communiter a proceribus præfatis, ut comes Campaniensis, qui hujus discordiæ causa principalis exstiterat, cruce signatus peregrinationem terræ sanctæ subiret ad militandum ibidem cum centum militibus contra inimicos Crucifixi; et præterea rex Francorum et mater ejus, tactis sacrosanctis evangeliiis, juraverunt, quod singulis redderent jura sua, et

¹ *Regina mater ejus.*] The French historians defend the queen-mother against the charges of Wendover, as being a woman of such habits as were altogether incompatible with the disorders of which she has been accused by our historian; see above, pp. 135, *seqq.*

quod omnes homines terræ illius secundum rec- A.D. 1230.
tas consuetudines et singulis debitas judicarent.

De reditu regis de Britannia in Angliam.

Jacebat interea rex Anglorum apud urbem Henry
returns to
England.
Nannetensem cum exercitu suo, nihil agens, nisi
quod thesauros consumpsit. Comites vero ac
barones, cum Hubertus, regis justiciarius, non
permisit ut contra hostes arma moverent, fe-
cerunt inter se convivia juxta consuetudinem
Anglicanam, et crapulis intendebant et poculis
ad invicem, ac si dies Natalitios celebrarent,
inter quos qui pauperes erant, rebus omnibus
consumptis, equos distrahebant et arma, ut ex-
inde ad tempus vitam ducerent infelicem. Tan-
dem rex Anglorum, ¹mense Octobri, dispositis
rebus necessariis ad custodiam terræ illius, di-
misit ibi milites quingentos et mille servientes
stipendiarios, super quos principes constituit
comitem Cestriæ Ranulphum, Willelmum Ma-
rescallum, et Willelmum Albemarlæ comitem,
cum quibusdam aliis viris bellatoribus et in opere
martio præelectis; sicque rex naves conscen-
dens post plurima maris pericula apud Portes-
muc applicuit septimo kalendas Novembris.
Venerunt autem multi diversæ professionis ad
eum homines diversis illum exeniis honorantes;
sed comes de Glovernia et de Clare ²Gilebertus
de partibus illis rediens diem clausit extremum,
cujus terrarum et honorum omnium rex Hu-
berto justiciario custodiam concessit.

¹ *Mense Octobri.*] ‘Modicum | ‘Rediit in Angliam circa festum
ibi (sc. in Britannia) proficiens | Omnium sanctorum;’ An.Waverl.
reversus est mense Octobri;’ p. 192.
Chron. Dunst. 201. ‘Reversus | ² *Gilebertus.*] He was buried
est in Angliam cum fratre suo | at Tewkesbury; Annal. Waverl.
Richardo;’ Hemingf. p. 573. | p. 192.

*De equitationibus factis in partibus transmarinis post
discessum regis.*

A.D. 1230.
Doings in
Anjou after
his depar-
ture.

Post recessum regis Anglorum ex partibus transmarinis comes Cestrensis et alii principes militiae regis cum toto ejus exercitu fecerunt equitationem per Andegaviam et per dies quindecim moram fecerunt in ea, et ceperunt castellum Guncier¹ et complanaverunt illud, et villam combusserunt; deinde ceperunt castellum novum super Sartam, et illud subvertentes villam incendio tradiderunt; sicque cum impretabilibus spoliis et praedis in Britanniam sunt reversi. Nec multo post Normanniam hostiliter ingressi ceperunt ibi castellum Punthursun, et eo complanato villam combusserunt, et absque rerum dispendio in Britanniam redierunt. Eodem anno facta est eclipsis² lunae, remanente sibi brevissima claritate, quasi per spatium trium horarum, decimo kalendas Decembris, ipsa luna decima tertia existente.

De exactione scutagii pro expeditione transmarina.

A.D. 1231.
The arch-
bishop of
Canterbury
refuses to
pay the
scutage.

Anno Domini MCCXXXI. rex Anglorum Henricus ad Natale tenuit curiam suam apud Lambheim, Huberto, Angliae justiciario, necessaria omnia festivitati regiae procurante. Ac deinde, septimo kalendas Februarii, convenerunt ad colloquium apud Westmonasterium rex cum praelatis et aliis magnatibus regni, ubi exegit idem rex³ scutagium, de quolibet scuto tres marcas, ab omnibus, qui baronias tenebant, tam laicis

¹ *Guncier.*] The reviser of our MS. has marked this word for correction; the French translator reads 'Gonnord'; iii. p. 447.

² *Eclipsis lunæ.*] Calvisius, Chronolog. p. 803.

³ *Scutagium.*] Termed, for distinction's sake, 'the scutage of Poitou,' after the king's first passage to Bretagne; Rot. Pip. 15 Hen. III.; Carte, ii. p. 40.

quam prælatis ; cui Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, et quidam episcopi cum eo audacter resistentes dixerunt, quod non tenentur viri ecclesiastici iudicio subijci laicorum, cum absque illis concessum fuisset scutagium in finibus transmarinis. Tandem post multas hinc inde disceptationes negotium, quantum ad prælatos reclamantes, usque in quindecim dies post Pascha dilationem accepit ; omnes alii, tam laici quam clerici ac prælati, favebant regiæ voluntati. A.D. 1231.

De discordia inter regem et archiepiscopum.

Per idem tempus Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, ad regem veniens ¹ conquestus est de Huberto, Angliæ justiciario, quod castellum de Tunebregge cum villa et pertinentiis ejus et alias quasdam terras Gileberti comitis de Clare nuper defuncti, quæ ad jus suum et ecclesiæ Cantuariensis spectabant, [injuste detinebat,] unde idem comes sibi et antecessoribus suis ipse et prædecessores sui ad recognitionem et homagium tenebantur ; qua de causa regem rogavit, ut custodiam dicti castelli cum pertinentiis sibi restitueret et jura ecclesiæ Cantuariensis conservaret illæsa. Ad hæc respondens rex dixit, comitem² præfatum de se tenere in capite, et

The archbishop complains of Hubert the justiciary.

¹ *Conquestus est de Huberto, Angliæ justiciario.*] Chron. Dunst. p. 202. The quarrel is described in the Annal. Waverl. as being between the archbishop ' et regales, qui violenter ejece- runt homines archiepiscopi de quadam custodia, quæ, sicut nonnullis visum est, proprie spectat ad jus Cantuariensis ecclesiæ ;' p. 193.

² *Comitem . . . de se tenere.*] See the title of the earls of Clare

to Tunbridge, as stated by Carte, ii. p. 40. In the 42nd Hen. III. the seignory of this manor was claimed by archbishop Boniface, and an agreement entered into by him with Richard de Clare, earl of Gloucester, concerning the services, which the archbishop required of the earl, by reason of the tenements which the latter held of him in Tunbridge, etc. ; Hasted's Kent, ii. p. 311, and iv. p. 768, note.

A.D. 1231. vacantes custodias comitum et baronum et eorundem hæredum ad suam coronam usque ad ætatem legitimam pertinere, unde sibi licere proposuit tales custodias cui voluerit vendere vel conferre. Archiepiscopus vero, cum aliud responsum habere non potuit, excommunicavit omnes invasores possessionum prædictarum, et omnes, præter regem, qui cum eis communionem haberent, et tam pro his quam ¹aliis de causis Romam profectus jus suum et ecclesiæ suæ prosequi maturavit. Rex vero e contra, ²ut causam suam prosequeretur, magistrum Rogerum de Cantelo Romam cum aliis quibusdam nuntiis destinavit. Eodem tempore, mense Aprili, expleta solennitate Paschali, Richardus frater regis desponsavit comitissam Gloverniæ, sororem scilicet Willelmi Marescalli, comitis de Penbroc; et, nuptiis vix completis, idem comes Willelmus, in militia vir strenuus, in dolorem multorum diem clausit supremum, et Londoniis apud Novum Templum ³sepultus est juxta patrem suum decimo septimo kalendas Maii.

Quod Loelinus in Wallia crudeliter sævire cœpit.

Disturbances
in Wales.

Eodem mense Maio Wallenses de latibulis, ut sorices e cavernis, erumpentes terram, quæ fuit Willelmi de Brausia, flammis discurrentibus vastaverunt; sed, rege Anglorum illo tendente cum

¹ *Aliis de causis.*] He had a suit also against the abbot of S. Augustine's, who refused to receive consecration at his hands; Chron. Dunst. p. 203.

² *Ut causam suam prosequeretur.*] It would appear that the king, to a certain extent, was successful in his suit, for in Rymer the reader may find a bull of Gregory, addressed to the

archbishops and bishops of England, 'de non excommunicando, sine causa manifesta, justiciarios, vicecomites et ballivos regis,' i. p. 200.

³ *Sepultus.*] His epitaph is thus recorded in the Annal. Waverl.: 'Militis istius mortem dolet Anglia; ridet Wallia viventis bella minasque timens.'

modica manu militari, ipsi ad suas more solito A.D. 1231.
sunt reversi cavernas. Rex autem partes australes repetens dimisit in partibus illis Hubertum, justiciarium regni, ad reprimendum impetus eorundem; sed illi, continuo ut audierant recessum regis, ad prædandum reversi, non longe a castro Montis-Gomerii provincias infestantes sævire cœperunt. Sed cum milites, qui erant in præsidio castri memorati, hoc cognovissent, ne tam libere sine offensione discurrerent, exierunt ad prælium contra ipsos, et viam revertendi præcludentes multos ex eis ceperunt et plurimos peremerunt; cumque illos, quos vivos ceperant, justiciario præsentassent, jussit omnes decapitari et regi Anglorum capita præsentari. Quod factum Loelinus nimis moleste ferens collegit exercitum copiosum, et terras baronum, qui in limbo Walliæ degebant, et possessiones gravi depopulatione contrivit, et, nec ecclesiis neque personis ecclesiasticis parcens, matronas quasdam nobiles et puellas, quæ causa pacis et salutis ad ecclesias confugerant, cum ipsis ecclesiis concremavit.

Quod rex, Loelino excommunicato, in Walliam exercitum conduxit.

Cumque hoc enorme factum ad aures regis pervenisset, ^{Henry marches against Llewellyn.} ¹collegit apud Oxoniam exercitum copiosum tertio idus Julii, ubi cum tota nobilitas Angliæ, tam cleri quam populi, congregata fuisset, episcopi omnes et ecclesiarum prælati, præsentate rege, Loelinum cum suis fautoribus, qui ecclesias concremarant, anathemate percus-

¹ *Collegit . . . exercitum copiosum.*] The king also issued a proclamation inviting the Irish to invade Wales, promising to assure to them such lands as they might be able to acquire; Rymer, i. p. 200.

A.D. 1231.
War in
Wales.

serunt ; quo facto, rex exercitum promovens ad Herefordensem urbem cito volatu pervenit. Erat autem eo tempore ¹Loelinus cum exercitu suo non longe a castello Montis-Gomerii in quodam prato, quod ripariam habebat vicinam paludibus obsitam, ubi militibus castris memorati dolosas insidias præparabat. Nam fratrem quendam de abbacia Cisterciensis ordinis, quæ prope erat, Cumira nuncupata, direxit Loelinus, ut dicitur, ad castellum ; quem cum viderunt milites castelli transeuntem per eos, exierunt ut cum fratre loquerentur, et sciscitantes ab eo, si quid de Loelino rege audisset, respondit, quod viderat eum cum parvo comitatu in prato vicino, ubi exspectabat majorem numerum armatorum. Milites vero, cum a fratre requirerent, si possent ripariam et pratum equites cum securitate transire, respondit frater, ‘ Pons, qui ultra ripariam itinerantes ducere solebat, confractus est a Loelino, quia metuebat impetum vestrum ; sed tamen poteritis secure, ubicumque volueritis, ripariam et pratum in equis transire, et Wallenses cum paucis equitibus vel vincere vel fugare.’ Quo audito, adhibuit fidem falsis assertionibus fratris Walterus de Godarvilla, custos castelli, et præcipiens commilitonibus et servientibus, ut convolarent ad arma, ascensis equis, ad locum celeriter pervenerunt ; quos Wallenses cum impetu venire conspicientes ad silvam quandam, quæ prope erat, dolosam illico inierunt fugam. At castellani rapido equorum volatu eos insequentes in riparia præfata ac palude illius prati submersi sunt usque ad ventres equorum, illi præ-

¹ *Loelinus.*] In the Patent Rolls is a pass from the king, granting safe conduct to the messengers of Llewellyn, summoned apparently to meet the king's messengers at Shrewsbury, dated Worcester, 27th May ; Rymer, i. p. 200. It would appear that Llewellyn took no notice of this summons.

cipue qui primi veniebant; sed alii, qui seque-^{A.D. 1231.}
bantur, ex sociorum submersione præmuniti de
casu commilitonum suorum non mediocriter con-
dolebant. Tunc Wallenses, hostium submersio-
nem cognoscentes, reversi sunt cum impetu su-
per eos, et cum lanceis suis milites et equos in
cœno volutantes crudeliter peremerunt. Fac-
tus est autem ibi hinc inde conflictus gravissi-
mus, multis utrobique peremptis, sed tamen Wal-
lenses victoria potiuntur. ¹Captus est autem ibi
Ægidius, filius Richardi de Argentonio, miles
strenuus, cum quibusdam aliis, quorum nomina
non audivi.

*De ultione prædicti sceleris, et constructione castri
Matildis.*

Cumque tandem casus, qui militibus jam dictis <sup>War in
Wales.</sup>
acciderat, regi fuerat denuntiatus, cum festina-
tione ad abbatiam, cujus frater præfatos milites
prodiderat, hostiliter transiens, in ultionem tanti
sceleris quandam grangiam illius abbatiæ bonis
omnibus spoliata combussit, et ipsam abbatiam
similiter spoliata omnino jussit igne cremari;
sed abbas loci, ut ædificia sumptuosis valde la-
boribus constructa salvaret, trecentas marcas
regi numeravit, et sic ejus indignatio paulisper
cessavit. Et, his ita gestis, fecit rex reædificare
castellum Matildis in Wallia de lapide et cæ-
mento eleganter, quod a Wallensibus olim pro-
stratum fuerat, atque, magnis sumptibus cum
esset opus feliciter consummatum, posuit in eo
rex milites et clientes, qui incursiones Wallen-
sium refrænarent.

¹ *Captus est.*] ‘Capti sunt au- | Ricardi de Argenthom;’ Chron.
tem a parte Lewelini duo filii | Dunst. p. 205.

De treugis statutis inter reges Francorum et Anglorum.

A.D. 1231.
Truce with
France.

Circa eodem dies, mense Junio, rex Francorum promovit exercitum copiosum, ut Armoricanam Britanniam expugnaret; sed, cum ejus adventum Henricus Britanniae et Ranulphus Cestriae comites, qui in finibus illis militiae regis Anglorum praerant, cognovissent, regi paraverunt insidias venienti, et a tergo rhedas ejus et vehicula, quae arma ferebant cum alimentis et machinis, invadentes ceperunt omnia, et machinas igne concremantes lucrati sunt ibidem equos sexaginta. Deinde Franci, cum Britanniam cognoscerent quasi inexpugnabilem, simul et debile principium suum habentes suspectum, procurantibus ex parte regis Francorum archiepiscopo Remensi et Philippo comite Bononiensi, atque ex parte regis Anglorum comitibus Britanniae et Cestriae in hoc consentientibus, ¹statutae sunt treugae et juramento firmatae triennales interdictos reges tertio nonas Julii. Eodem mense Julio Petrus, Wintoniensis episcopus, completo in terra promissionis jam fere per quinquennium magnificae peregrinationis voto, reversus est in Angliam, et in kalendis Augusti Wintoniae susceptus est cum processione solenni in ecclesia cathedrali. ²Venerunt eodem tempore, post treugas statutas, comes Britanniae et comes Cestriae, cum Richardo Marescallo, ex finibus transmarinis in Angliam, et ad regem profecti in Walliam, qui adhuc occupabatur in constructione

¹ *Statutae sunt treugae.*] Letters plenipotentiary for concluding a truce with France had been granted to the earl of Cornwallis and others, dated 6th of September 1230; Rymer, i. p. 198.

² *Venerunt.*] Before their return, an aid, a fortieth part of all the moveables of the nobility, laity, and regular and secular clergy, had been granted by universal consent; Close Rolls, 15 Hen. III.; Carte, p. 40.

castri Matildis, honorifice sunt ab eo recepti. **Ri-** A.D. 1231.
 chardus vero Marescallus, se regi repræsentans
 ut hæredem fratris sui Willelmi Marescalli, ob-
 tulit regi pro hæreditate sua homagium suum et
 quicquid ei de jure suo facere tenebatur. Cui ¹re-
 spondens rex, per consilium Huberti consilarii
 sui ac justiciarii, quod audierat uxorem fratris
 sui defuncti esse prægnantem, unde noluit eum
 audire, donec rei veritas probaretur; objecit
 etiam eidem Richardo, quod conversatus fuerat
 inter hostes suos publicos in partibus Gallicanis,
 unde rex præcepit, ut cito de regno non rever-
 surus exiret, affirmans, quod, post dies quindecim
 [si] inveniretur in regno, carceri perpetuo trade-
 retur. At Richardus, cum aliud non haberet re-
 sponsum, transfretavit in Hiberniam, ubi omnes
 milites et homines fratris sui illum cum gaudio
 recipientes reddiderunt omnia ei castella, quæ
 erant fratris sui, homagiumque illi cum fidelitate
 fecerunt; castellum etiam de Penbroc in sua
 potestate recipiens, cum toto honore ad castel-
 lum pertinente, collegit multitudinem armatorum,
 hæreditatem suam, etiam invito rege, si neces-
 sitas cogeret, subjugare disponens. Tandem rex,
 mutato consilio, metuens ne pacem regni tur-
 baret, suscepit homagium ejus et fidelitatem, et
 ei omnia jura sua, salvo sibi relevio consueto,
 concessit.

*Quod Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, Romam
 profectus in reditu obiit.*

Venit hoc tempore ad curiam Romanam **Ri-** Death of the
 archbishop of
 Canterbury.
 chardus, Cantuariensis archiepiscopus, et in præ-
 sentia domini [papæ] hæc proposuit quæ sequun-

¹ Respondens rex.] ‘Ricardus | dem hæreditatem suam recupe-
 Marescallus, qui per injustam di- | rare promeruit;’ Chron. Dunst.
 lationem valde damnificatus, tan- | p. 205.

A.D. 1231.

tur. Conquestus est in primis de rege Anglorum, quod solummodo omnia regni negotia per consilium Huberti justiciarii, aliis spretis magnatibus, disponebat. Item, de justiciario proposuit, quod¹ habuit uxorem, cujus consanguineam prius habuerat sibi matrimonio copulatam, et quod jura ecclesiæ Cantuariensis invaserat et injuste detinebat. Proposuit etiam, quod episcopi quidam ejus suffraganei, neglecta pastorali cura, sedebant ad scaccarium regis, laicas causas ventilantes et judicia sanguinis exercentes. Item conquestus est, quod clerici beneficiati et infra sacros ordines constituti plures habebant ecclesias, quibus adnexa fuerat cura animarum, et quod insuper, sicut episcopi, ab ipsis trahentes exemplum, curis secularibus et laicorum se judiciis immiscebant. His autem et consimilibus coram papa propositis, petiit, ut talibus limam correctionis excessibus adhiberet. Cumque hæc omnia dominus papa diligenti studio intellexisset, et vidisset quod universa, quæ proposuerat archiepiscopus, justitia fuerant et ratione subnixæ, jussit incontinenti, quatenus archiepiscopi negotia sive petitiones expedirentur, justitia mediante. Proposuerunt autem in contrarium clerici regis, pro ipso rege et justiciario multa inaniter allegantes; sed parum vel nihil profecerunt, quia, ut breviter dicatur, favor archiepiscopi, quicquid petiit, impetravit. Archiepiscopus autem, cum, expletis negotiis omnibus pro voluntate sua, repatriare maturaret, ²apud [sanctam

¹ *Quod habuit uxorem.*] His third wife, Margaret, the daughter of the king of Scotland, related to his second wife Isabel, the countess of Gloucester. The Chron. Dunst. tells us that he evaded this inquiry, 'machina-

tionibus dolosis iniquitatem suam prolongavit, audientiam bonorum judicium declinando, et malitiose literas impetrando ad tres judices, in tribus Angliæ angulis constitutos,' p. 207.

² *Apud sanctam Gemmam.*] 'Ad

Gemman] diem clausit supremum tertio nonas A.D. 1231.
 Augusti; et sic, ipso exspirante, exspirabant cum
 eo negotia impetrata.

*Quod rex Anglorum revocatus est a nuptiis sororis
 regis Scotorum.*

Eodem tempore rex Anglorum, constructo in Henry dis-
 Wallia castello supradicto, mense Octobris in suaded from
 Angliam remeavit. marrying the
 Proposuit sane idem rex eo sister of the
 tempore ducere in uxorem ¹sororem regis Scoto- king of
 rum, indignantibus comitibus et baronibus uni- Scotland.
 versis; non enim, ut aiunt, decebat, quod rex
 duceret natu filiam minorem, cum Hubertus jus-
 ticiarius natu majorem haberet sibi matrimonio
 copulatam; sed, ab hoc proposito cum per comi-
 tem Britanniae fuisset rex revocatus, dedit eidem
 comiti Britanniae quinque millia marcas argenti,
 et sic rediit in regionem suam.

*De electione et cassatione Radulphi, Cantuariensis
 electi.*

Defuncto, ut dictum est, Richardo, Cantuariensi Ralph de
 archiepiscopo, decreverunt monachi Cantuarie Neville
 Radulphum de Nevilla, Cicestrensem episcopum, elected arch-
 sibi in praesulem postulare; erat autem cancel- bishop of
 larius regis, unde monachi, electione facta, praes- Canterbury.
 entaverunt eum regi octavo kalendas Octobris;
 quem rex gratanter, quantum ad se pertinebat,
 acceptans de maneriis et rebus aliis ad archi-
 episcopatum adjacentibus illum protinus inves-
 titiv. Et monachi Romam profecturi, ad electum

sanctam Geminam morbo correptus obiit, atque ibidem apud ecclesiam fratrum Minorum honorifice tumulatus est.' *Annal. Waverl.* p. 193.

¹*Sororem regis Scotorum.*] Isabella; she was already the wife of Roger Bigod earl of Norfolk,

married, as appears from a writ printed in Rymer, in 1225; *Rym.* i. p. 178. There was also a natural daughter of William of Scotland named Isabel, married first to Robert de Bruce and afterwards to Robert de Rosse; *Chron. Mailr.* p. 175.

A.D. 1231.

Election de-
clared void
by the pope.

suum venientes, petierunt ab illo auxilium ad expensas itineris ; sed ille plane affirmavit, quod propter hoc eis nec obolum unum donaret. Sed monachi illi, non ideo minus Romam profecti, electionem sive postulationem factam petierunt a papa, ut auctoritate apostolica confirmaret. Dominus itaque papa, facta, ut dicitur, a magistro Simone de Langetuna inquisitione de persona postulati, respondit, ipsum curialem esse et illiteratum ; unde papa, postulatione cassata, concessit, ut conventus Cantuariensis alium archiepiscopum ac talem eligerent, qui sibi esset pastor animarum salubris et ecclesiæ utilis Anglicanæ, qui domum reversi conventui retulerunt quomodo fuerant a suo desiderio defraudati.

De insolentia clericorum Romanorum.

Disturbances
on account of
the Italian
clergy.

Suborta est hac tempestate in Anglia maxima rerum perturbatio, immo, ut verum fateamur, indiscreta præsumptio, ¹propter Romanorum insolentiam clericorum, quæ tam nobiles regni quam ignobiles ad temerariam compulit ultionem, sicut in subscriptis continetur expressum ; ‘ Tali episcopo, et tali capitulo, universitas eorum, qui magis volunt mori quam a Romanis confundi, salutem. Qualiter circa nos et alias personas ecclesiasticas Angliæ hactenus se habuerint Romani et eorum legati, vestram non dubitamus latere discretionem, beneficia regni suis, secundum quod eis placet, conferendo, in vestrum et omnium aliorum regni intolerabile præjudicium et gravamen ; in vos etiam et coepiscopos vestros aliasque personas ecclesiasticas, ad quos

¹ *Propter Romanorum insolentiam clericorum.*] Wilkins has printed a bull of the pope, issued with a view to redress this grievance, by which he allows patrons to present to churches, on the death of the Italian incumbents ; Concil. i. p. 629.

collatio beneficiorum pertinere dinoscitur, quod A.D. 1231.
 magis dignum est pro confusione notari, suspensionis sententias fulminando, ne alicui de regno beneficia conferatis, donec quinque Romanis, nec dum proprio nomine nominatis, immo nato Ruffredi, et nato talis et talis, in singulis ecclesiis vestris per totam Angliam sit provisum, unicuique eorum in reddito centum librarum; alia etiam gravamina quamplurima tam laicis et magnatibus regni super advocacionibus suis et eorum eleemosynis ab eis et antecessoribus suis datis in pauperum regni sustentationem, quam clericis et aliis viris religiosis regni super rebus et beneficiis, inferendo. Nec præmissis contenti ad ultimum a clericis regni beneficia, quæ obtinent, ut ea Romanis conferant, non secundum quod decet, sed sicut eis placet, auferre volentes, in eis illam intendunt prophetiam adimplere, ‘Spoliaverunt Ægyptios, ut ditarent Hebræos, multiplicando gentem suam, non magnificando lætitiã;’ sic dolorem dolori nobis et vobis omnibus accumulando, ut melius nobis videatur mori, quam vivere sic oppressi. Unde licet grave sit nobis contra stimulum calcitrare, tamen, quia qui nimis emungit, elicit sanguinem, nos severitatem eorum animadvertentes, qui ab initio tanquam advenæ ¹Romam sunt ingressi, nunc autem nos non tantum judicare, sed etiam condemnare, intendunt, alligantes onera importabilia, quæ nec in se nec in suos digito movere volunt, de communi consilio magis elegimus, licet tarde, resistere, quam eorum oppressionibus intolerabilibus amplius subjacere seu majori subijci servituti. Hinc est quod vobis mandamus, districtè inhibentes, quatenus, cum nos ecclesiam, regem

¹ *Roman.*] Corrected by a somewhat later hand ‘Romani.

A. D. 1231. similiter et regnum, nitamur a tam gravi jugo servitutis eripere, circa eos, qui de Romanis vel eorum redditibus se intromittunt, nullas partes vestras interponere præsumatis; pro certo scituri, quod, si hujus mandati, quod absit, exstiteritis forte transgressores, quæ vestra sunt incendio subjacebunt, et pœnam, quam Romani incurrunt in personis, vos incurreretis. Valetè.’

Prohibitio ne reddantur firmæ vel redditus clericis Romanis.

Disturbances
on account of
the Italian
clergy.

‘Item religiosis et aliis, qui habent ecclesias Romanorum ad firmam, universitas prædicta, salutem. Cum post innumerabiles confusiones et infinita gravamina, quæ Romani, ut scitis, regno Angliæ inflixerunt ad præsens, in præjudicium regis et magnatum regni, circa advocaciones ecclesiarum suarum et eorum eleemosynas, qui clericos regni spoliare nituntur beneficiis suis, ut ea Romanis conferant, in majorem regni et nostri confusionem, de communi consilio magnatum elegimus, licet tarde, resistere, quam eorum oppressionibus intolerabilibus de cætero subjacere, et eos per subtractionem beneficiorum suorum per totum regnum, quod aliis intendebant inferre, sic arctare, ut a regni molestatione desistant. Hinc est quod vobis mandamus, districte injungentes, quatenus de firmis ecclesiarum, sive de redditibus camerarum, quas de Romanis habetis, vel debetis eis, de cætero non respondeatis, sed dictas firmas et redditus habeatis paratos in crastino Dominicæ, qua cantatur ‘Lætare Hierusalem,’ procuratori nostro literatorie a nobis ad hoc dato, abbates scilicet et priores in eorum monasteriis, alii vero presbyteri et clerici vel laici ad proprias ecclesias Romanorum, tradituri; pro certo scientes, quod, si hoc non feceritis, quæ ves-

tra sunt incendio subiacebunt, et nihilominus periculum, quod Romanis imminet in personis, vobis imminebit. Valet.' His ita gestis, prædicta universitas misit per milites et ministros literas has novo quodam sigillo signatas, in quo sculpti erant duo gladii, et inter gladios scriptum erat 'Ecce duo gladii hic,' in modum citationum ad ecclesias regni cathedrales, ut, si quos invenirent contradictores, juxta quod provisum fuerat punirent eos. A.D. 1231.

*De quodam consistorio apud sanctum Albanum habito,
et de captione Cincii.*

Per idem tempus, decimo sexto kalendas Januarii, habitum est apud sanctum Albanum ingens consistorium abbatum, priorum, archidiaconorum, cum tota fere nobilitate regni magistrorum et clericorum, qui omnes ad hoc convenerunt per mandatum domini papæ, ut celebrarent divortium inter comitissam Essexiæ et virum suum, si ratio id dictaret. In crastino autem, consistorio soluto, cum singuli redirent ad propria, clericus quidam Romanus, nomine ¹Cincius, qui ecclesiæ sancti Pauli Londoniarum erat canonicus, per prædictam universitatem, ut creditur, non longe a villa sancti Albani captus est et abductus a viris armatis et capitibus velatis; sed magister Johannes Florentinus, Norwicensis archidiaconus, qui huic consistorio adfuit, ab hac captione evasit, et ad urbem Londoniarum fugiens delituit ibidem multis diebus. Cincius vero post quinque septimanas, crumenis evacuatis, ut dicitur, ad urbem Londoniarum sanus et incolumis est reductus. A court held at S. Alban's by the pope's mandate.

¹ Cincius.] Chron. Dunst. p. 206.

De distractione bladi de Wihingeham violenta.

A. D. 1232.
Disturbances
on account of
the Italian
clergy.

Anno Domini MCCXXXII. rex Anglorum Henricus fuit ad Natale apud Wintoniam, cui Petrus, ejusdem urbis antistes, necessaria omnia procuravit, et festiva tam regi quam suis exhibuit indumenta. In illis autem diebus natalitiis distracta sunt horrea de Wihingeham cujusdam Romani ditissima per prædictam universitatem, ut creditur, a paucis armatis servientibus et capitibus velatis. Procurator vero illius ecclesiæ et custos, cum talem violentiam inspexisset, venit ad vicecomitem regionis, et de violata pace regis et injuria domino suo illata ei patenter ostendit. At vicecomes mittens ad locum ministros suos cum militibus quibusdam vicinis jussit inquiri quidnam hoc esset; venientes quoque ad horrea milites memorati invenerunt homines illos armatos et sibi penitus ignotos, qui jam ex maxima parte ¹horrea evacuerant et bladum bonis conditionibus et ad commodum totius provinciæ vendiderant, sed et pauperibus partem caritative peccentibus ex animo conferebant. Milites vero, qui advenerant, cum interrogassent eos unde essent, qui pacem regis offendere et talia facere præsumebant, illi continuo milites seorsum vocantes ostendebant literas regis ²patentes, prohibentes ne quis eos præsumeret impedire; at milites hoc

¹ *Horrea evacuerant.*] The pope charged the bishops with conniving at these disorders, in a letter which he wrote to Henry, respecting his own and predecessors' merits and services to him and his father, complaining not only of the outrages above mentioned, but also of the ill-treatment of his nuncios and ministers; one of these being cut in pieces, another left half dead,

their bulls trodden under foot, etc., and insisting on a speedy reparation of damages and punishment of the malefactors; Carte, ii. p. 42. The bull is dated 7th June 1232; Rymer, i. p. 203.

² *Patentes.*] Paris adds, 'adulterinas et sophisticas.' 'Literas patentes ipsius justiciarii;' Chron. Dunst. p. 207.

audientes, tam ipsi quam alii, qui advenerant, A.D. 1232. pacifice recesserunt; sicque infra dies quindecim distractis omnibus, armati illi de loco recesserunt, loculis plene reffectis. Tandem cum hæc violentia ad notitiam Rogeri, Londoniensis episcopi, pervenisset, convocatis decem episcopis in¹ crastino beatæ Scholasticæ virginis Londoniis in ecclesia beati Pauli, omnes hujus violentiæ auctores anathematis sententia percusserunt, involventes etiam illos, qui in Cincium, Londoniensis ecclesiæ canonicum, manus injecerant violentas, cum universitate prædicta et illis omnibus qui fecerunt sigillum et literas superscriptas.

Quod rex auxilium per totam Angliam sibi dari postulavit.

Convenerunt eo tempore, nonas Martii, ad colloquium apud Westmonasterium ad vocatorem regis magnates Angliæ, tam laici quam prælati, quibus rex proposuit, quod magnis esset debitis implicatus causa bellicæ expeditionis, quam nuper egerat in finibus transmarinis, unde necessitate compulsus ab omnibus generaliter auxilium postulavit. Quo audito, comes Cestrensis Ranulphus pro magnatibus loquens regi respondit, quod comites, barones ac milites, qui de eo tenebant in capite, cum ipso erant ibi corporaliter præsentis, et pecuniam suam ita inaniter effuderunt, quod inde pauperes omnes recesserunt, unde regi de jure auxilium non debebant; et sic, petita licentia, laici omnes recesserunt. Prælati vero regi respondentis dixerunt, quod episcopi multi et abbates, qui vocati erant, non fuerunt præsentis; et sic petierunt inducias,

The king demands an aid of the laity and clergy.

¹ *In crastino beatæ Scholasticæ virginis.*] The 10th of February.

A.D. 1232.

quousque ad diem certum possent omnes pariter convenire. Præfixus est itaque dies a quindecim diebus post Pascha, ut, omnibus congregatis, tunc fieret, quod erat de jure faciendum. Eodem tempore conventus Cantuariensis elegerunt Johannem, priorem suum, in archiepiscopum et pastorem animarum suarum, qui, cum esset regi præsentatus et ab eo receptus, profectus est Romam, ut electionem rite factam impetraret a sede apostolica confirmari.

Visio de rege Richardo valde laudabilis.

Bishop of
Rochester's
vision
concerning
Richard I.

Sub eisdem diebus Henricus, Rossensis episcopus, cum in sabbato, quo cantatur 'Sitientes venite ad aquas,' apud Sidingeburniam, præsentate electo Cantuariensi, ordines celebrasset solennes, adstante clero et populo, fiducialiter protestatus est dicens, 'Gaudete omnes in Domino fratres, qui hic præsentés estis, scientes indubitanter, quod nuper uno et eodem die exierunt de purgatorio rex quondam Anglorum Richardus et Stephanus, Cantuariensis archiepiscopus, cum uno capellano ejusdem archiepiscopi, ad conspectum divinæ majestatis, et eo die non nisi tres illi de locis pœnalibus exierunt; et ut his dictis meis fidem adhibeatis plenissimam et certam, quia vel mihi vel alii tertia jam vice hoc per visionem revelatum est ita manifeste, quod ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas removetur.' Et, quoniam hic mentio facta est de magnifico rege Richardo, unum de actibus ejus ad ædificationem audientium referre curabo.

*Quomodo rex Richardus vidit Crucifixi imaginem
contra militem eam adorantem caput inclinare.*

Legend concerning the
same King.

Regnante dicto rege Richardo, miles quidam de regno Angliæ in Nova degens Foresta, qui

longo usu bestias regis furtive venari consueverat, quadam vice interceptus est cum venatione furata et per iudicium curiæ ipsius regis in exilium relegatus. Hanc enim legem de venatione furto sublata rex ille clementissimus in hoc temperavit, quod cum [apud] reges antecessores ejus, si quilibet in fraude venationis deprehensi fuissent, eruebantur oculi eorum, abscindebantur virilia, manusque cum pedibus truncabantur; sed tale iudicium ¹pio regi Richardo visum est nimis inhumanum, ut homines ad imaginem Dei creati, pro feris, quæ juxta legem naturalem generaliter omnibus sunt concessæ, de vita vel membris periclitarentur, ut id faciendo feris ac bestiis deterior videretur. Hoc enim solummodo sufficiebat ei, ut quilibet in tali culpa deprehensus² vel Angliam abjuraret vel pœnam carceralem subiret, salvis omnibus vita et membris. Miles igitur, ut dictum est, exulatus coactus est cum uxore et liberis panem inter extraneos mendicare, qui prius exquisitis deliciis fruebatur. Tandem in se reversus miles cogitavit a rege misericordiam implorare, ut in hæreditate sublata restitui mereretur, et veniens ad regem in Normannia invenit eum summo mane in quadam ecclesia, ut missam audiret. Et miles ecclesiam tremens intravit, non ausus in regem oculos erigere, quia, cum esset visu quasi speciosissimus hominum, quandoque tamen terribilis videbatur; et ante imaginem Crucifixi, quæ in ecclesia erat, se conferens et genuflexiones cum lachrymis multoties iterans, Crucifixum humiliter precabatur, ut per ineffabilem clementiam suam gratiam sibi regis misericorditer reconciliaret, qua hæreditatem recuperaret amissam. Rex autem,

A.D. 1232.
Legend
concerning
Richard I.

¹ Pio.] In MS. 'pro.'

² Deprehensus.] 'Deprehensi'
in MS.

A. D. 1232.
Legend
concerning
Richard I.

militem intuens sollicitè orantem cum lachrymis et devotione non ficta, vidit de illo rem mirabilem et relatione condignam; nam quotiescunque miles, quem de familia sua non esse deprehendit, genua flexit, ut imaginem adoraret, imago e contra Crucifixi ad genuflexiones ejus caput et collum satis humiliter inclinavit, et regem hoc cum stupore sæpius conspicantem in admirationem commovit. Rex autem statim, officio missæ completo, fecit militem ad suum accersiri colloquium, et diligenter sciscitabatur ab eo quis et unde fuisset. At ille cum timore regi respondens dixit, ‘Domine,’ inquit, ‘homo vester ligius sum, sicut omnes antecessores mei fuerunt;’ et narrationem incipiens retulit coram rege quo ordine cum venatione deprehensus exhæredatus fuerat et cum sua familia exulatus. Dixit ergo rex ad militem, ‘Fecistine aliquando in vita tua boni aliquid ad sanctæ crucis reverentiam et honorem?’ At miles de actibus suis præteritis sollicitè cogitans regi rem, quam egerat ob Crucifixi reverentiam, enarravit.

*Quomodo miles inimico pepercit pro reverentia
Crucifixi.*

Legend
concerning
Richard I.

‘Pater meus,’ inquit, ‘et alius quidam miles villam quandam inter se dimidiabant, quam jure hæreditario possidebant; et, cum pater meus in omnibus divitiis abundaret, alius e contra miles semper pauper erat et egenus, contra patrem meum invidia ductus paratis insidiis interfecit eum. Ego autem, qui tunc puer eram, cum annos viriles attigissem et in hæreditate paterna confirmatus fuisset, cogitavi immutabiliter in ultionem patris mei militem illum interficere; sed ille super his præmunitus per annos plurimos ab insidiis, quas ei studiose paraveram, se cal-

lide custodivit. Tandem cum in die Parasceues, qua crucem subiit Christus Jesus pro salute mundi, ad ecclesiam properarem servitium auditurus, vidi inimicum præcedere me, ut similiter ad ecclesiam iret. Festinavi post tergum ejus, ut eum interficerem gladio educto; sed ille casu retro respiciens, cum me rapido cursu advenire conspiceret, ad crucem quandam, quæ secus viam stabat, confugit, quia nimia senectute gravatus se defendere non valebat. Et cum illum, qui lignum crucis inter brachia tenebat amplexum, erecto gladio vellem perimere et cerebrum effundere, adjuravit me per nomen Crucifixi illius, qui in ligno crucis eo die pro totius mundi salute pependit, ne eum interficerem, votum faciens et firmiter promittens, quod pro anima patris mei, quem occidit, capellanum unum assignaret in perpetuum, qui missam diebus singulis celebraret. Ego autem senem illum videns lachrymantem, commotus sum ad pietatem, et sic, ob amorem et reverentiam Illius, qui pro salute mea et omnium crucem ascendit et eam suo sanguine sanctissimo consecravit, mortem patris mei militi condonavi.' Tunc rex militi respondens ait, 'Sapienter,' inquit, 'egisti, quia Crucifixus ille tibi nunc vicem pro vice sufficienter persolvit;' et advocans episcopos et barones, qui aderant, revelavit audientibus cunctis visionem, quam rex ipse solus viderat, quomodo, scilicet, imago Crucifixi ad singulas militis genuflexiones caput cum collo humiliter inclinavit. Et rex continuo ad se vocans cancellarium suum præcepit, ut per literas suas patentes vicecomiti, quem miles sibi nominaret, daret in mandatis, quatenus, visis literis, militi terram suam redderet totam in eo statu quo illam recepit quando illum a patria exulavit.

A. D. 1232.
Legend
concerning
Richard I.

De patientia regis in persecutionibus.

A. D. 1232.
Piety of
Richard I.

Nec illud de virtutibus magnifici regis loquentes credimus negligendum, quod statim coronatus in regem rectam semper justitiam cunctis exhibuit, pro munere nunquam iudicium subverti permisit. Episcopatus et abbatias vacantes continuo et absque venalitate viris canonicè electis concessit, nec eas aliquando sub laicorum custodia deputavit; prælatos omnes ordinatos, et præcipue viros religiosos, honoravit, et pro reverentia Jesu Christi eos offendere adeo metuit, ut tempore quodam, cum ad mandatum domini papæ omnes prælati totius regni coram rege congregati fuissent, ut partem vicesimam mobilium suorum ad subventionem terræ sanctæ concederent, et seorsum sederent super præfato negotio colloquentes, rex ait Galfrido filio-Petri et Willelmo Briwerre, qui apud pedes ejus sedebant, voce demissa, 'Videtis prælatos illos, qui ibi sedent?' 'Videmus, domine,' inquit; et rex ad eos, 'Si scirent,' inquit, 'quomodo eos ob reverentiam Dei timeo, et quam invite offenderem illos, ipsi me conculcarent quemadmodum conculcatur calceamentum vetus et dejectum.' Notandum est etiam, quomodo regni nuper adepti delicias pro amore Regis æterni relinquens thesauros patris sui ac proprios in obsequio Crucifixi et terræ sanctæ liberatione effundere curavit, et quam potenter terram promissionis totam, præter civitatem sanctam Hierusalem, de manibus inimicorum crucis extorsit. Ubi deficientibus sibi thesauris, terram sub treugis triennialibus constituens, a Salaadino impetravit, ut sacerdos quidam, usque ad treugas elapsas, apud Dominicum sepulchrum de cruce missam diebus singulis ad regis stipendia celebraret;

et in hunc modum recedens rex ad terminum treugarum resumptis viribus thesaurisque multiplicatis redire disposuit, relictis regno et rebus omnibus, quibus dominabatur in partibus occidentis, ut in sancta civitate Hierusalem in regem coronatus prælia domini Sabaoth præliaretur et agmina præiret, et crucis inimicos, dum viveret, debellaret. Sed humani generis inimicus, qui bonis semper operibus invidet et prosperitatibus populi Christiani, excitavit contra regem devotum ducem Austriæ et imperatorem Romanum, qui illi revertenti paraverunt insidias; captus est ab hostibus, et, velut bos esset vel asinus, venditus est imperatori Romano. Incarceratus autem, et secus quam deceret tantum virum malitiose tractatus, ad redemptionem gravissimam est compulsus. Rex præterea Francorum, magnifici regis pium præpediens propositum, terras ejus, dum esset in servitio crucis, invasit; et sic undique ab inimicis præventus martyrium, quod nondum suscepserat in corpore, sicut proposuerat, in terra promissionis, servavit in mente, qui desiderium habuit revertendi et mori in obsequio crucis. Accessit ad cumulum adhuc tentationum ejusdem regis, quod, dum esset in obsequio crucis, comes Johannes, frater ejus, moliebatur Angliam subjugare, castella quædam obsidendo et fratri suo guerram movendo, sed laudabili fidelitate gentis Anglorum propositum illius frivolum exstitit et inaniter attentatum. O admiranda magnifici regis constantia! quæ nunquam in adversis potuit frangi, sicut nec in prosperis extolli, sed omnibus semper hilarem exhibens vultum nunquam in rege apparuit diffidentiae signum. Hæc et his similia virtutum opera regem nostrum Richardum coram summo Deo reddiderant gloriosum,

A. D. 1232.
Piety of
Richard I.

A.D. 1232.
Piety of
Richard I.

unde nunc merito, cum venisset tempus miserendi Dei, de locis, ut credimus, pœnalibus translatus est ad regna sine fine mansura, ubi militi reposita est a rege Christo, cui fideliter servivit, corona justitiæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Gaudent de ejus societate sancti illi, quorum sanctas redemit reliquias a Salaadino in terra promissionis pro quinquaginta duobus bizantiorum millibus, pacto interposito cum eisdem sanctis, ut apud Deum in suprema necessitate sua suis cum intercessionibus adjuverent. Erant enim reliquiæ memoratæ in quatuor eburneis collectæ capsellis, tempore captionis terræ sanctæ ac crucis reverendæ ab infidelibus Saracenis, per totam Judæam et Galilæam, et erant singulæ capsellæ tantæ magnitudinis ac ponderositatis, ut vix a quatuor hominibus portarentur. Sed hæc superius in gestis hujus regis Richardi latius referuntur.

De distractione frugum clericorum Romanorum.

Riots against
the Italian
clergy.

Eodem anno distracta sunt horrea Romanorum per totam fere Angliam, a viris quibusdam armatis et adhuc ¹ignotis, bonis conditionibus et ad commodum multorum; et opus, licet temerarium, in solennitate Paschali inchoantes, sine contradictione et libere, quod inceperant, compleverunt. Largas eleemosynas advenientibus distribuebant egenis, et quandoque nummos inter pauperes seminantes eos colligere hortabantur. Delituerunt clerici Romani in abbatiis, de injuriis sibi illatis murmurare non audentes, quia elegerunt potius res suas amittere, quam puniri sententia capitali. Erant autem hujus temeritatis auctores viri quasi quater viginti et

¹ *Ignotis.*] ‘Per quosdam satellites blada Romanorum violenter excussa venderentur;’ Chron. Dunst. p. 207.

quandoque minus, qui, magistrum habentes Wil- A.D. 1232.
lelmum quendam, ¹cognomento Wither, ejus per
omnia obtemperabant præceptis. Sed cum post
modicum tempus hæc, quæ facta fuerant, ad
summi pontificis notitiam pervenerunt, indigna-
tus est valde, et misit ²litteras ad regem Anglo-
rum, mordaces nimis et increpatorias, quod tales
in regno suo fieri permisit rapinas viris eccle-
siasticis, non habens respectum ad sacramenta,
quæ juraverat tempore coronationis suæ, non so-
lum de pace ecclesiæ manutenenda, verum etiam
de recta justitia tam clericis quam laicis conser-
vanda. Mandavit igitur in eisdem literis regi,
sub pœna excommunicationis et interdicti firmi-
ter præcipiens, quatenus, diligenti facta inquisi-
tione, si quos hujus violentiæ inveniret auctores,
tam graviter puniret obnoxios, ut ex pœna illo-
rum cæteris metum incuteret et terrorem. De-
dit etiam Petro, Wintoniensi episcopo, et abbati
sancti Eadmundi per literas in mandatis, ut in
australi parte Angliæ, facta inquisitione dili-
genti, quoscumque hujus rei invenirent culpa-
biles, tamdiu denuntiarent eos excommunicatos
quousque Romam venirent a sede apostolica ab-
solvendi; similiter in parte regni aquilonari ar-
chiepiscopo Eboracensi, episcopo Dunelmensi et
Johanni, natione Romano et Eboraci canonico,
idem papa, eadem inquisitione commissa, præ-
cepit, ut illius violentiæ transgressores Romam
mitteret absolvendos, appellatione non obstante.

¹ *Cognomento Wither.*] His real name, as it appears below, was Robert de Twenge. In the Fine Rolls, 29 Hen. III., is a writ to the sheriff of Yorkshire, ordering him to make a return of the value

of all the land and cattle belong-
ing to Robert de Twenge in his
bailiwick.

² *Litteras.*] Rymer, tom. i. p.
204; see above, p. 232, *note.*

De inquisitione facta super distractione præfata.

A. D. 1232.
Inquiry in-
stituted by
command of
the pope.

Facta igitur inquisitione de violentia memorata, tam a rege quam ab episcopis et exsecutoribus prædictis, et sacramento mediante cum examinationibus et testibus productis, inventi sunt multi transgressores, quidam de facto, quidam de consensu, quorum nonnulli episcopi erant et clerici regis, cum quibusdam archidiaconis ac decanis, militibus etiam et laicis multis. Quidam vero vicecomites et eorum præpositi et ministri pro eodem excessu, rege jubente, capti sunt et incarcerati, et alii præ timore sibi per fugam consulentes a quærentibus non fuerunt inventi. Principalis autem domini regis justiciarius Hubertus de Burgo ex hoc arguitur fuisse transgressor, quod prædonibus illis tam literas regis patentes quam proprias exhibuerat, ne quis eos de præfata violentia præpediret. Venit præterea ad regem inter cæteros Robertus de Tuinge, miles strenuus, qui aliis consentientibus fruges Romanorum vendiderat et Willelmum Wither se fecerat appellari, quinque servientes armatos et hujus violentiæ auctores circumduxerat, protestans manifeste, quod in odium Romanorum et causa justæ ultionis transgressus fuerat, qui per sententiam Romani pontificis et fraude manifesta nitebantur eum ab unica, quam habuit, ecclesia spoliare; addidit etiam, quod maluit ad tempus injuste excommunicari, quam a suo beneficio sine judicio spoliari. Tunc rex et exsecutores præfati militi dederunt consilium, ut, qui in canonem latæ sententiæ inciderat, Romam absolvendus properaret, et jus suum coram domino papa protestaretur et quod ecclesiam juste pariter et canonice possidebat; dedit etiam ei rex literas ad papam testimoniales de jure suo, de-

precans obnixè, ut militem illius intuitu ex- A.D. 1232.
audiret.

*Quomodo electio prioris Cantuariensis Romæ fuerit
reprobata.*

Venit eodem tempore Romam prior Johannes, Election of the prior of Canterbury refused by the pope. electus Cantuariensis, in hebdomada Pentecostes, et, cum literas suæ electionis domino papæ exhibisset, præcepit magistro Johanni de ¹Columna et aliis quibusdam cardinalibus, ut examinaret illum, si dignus esset ad culmen hujusmodi promoveri; qui, cum examinassent per triduum electum illum in decem et novem, ut dicitur, articulis diligenter, protestati sunt coram domino papa, se causam in ipso legitimæ recusationis non invenisse. Veruntamen visum est domino papæ in electo memorato, quod nimis esset senex et simplex et ad tantam insufficiens dignitatem; et cum persuasisset ei, ut cederet, electus humiliter factæ electioni renuntiavit et licentiam petiit ad propria revertendi. Tunc papa, concessa licentia monachis, ipsis præcepit ut alium talem eligerent, cui onus suum communicare et curam posset committere pastorem.

*Quod rex Anglorum quosdam ministros suos a suis
removit officiis.*

Circa dies istos Loelinus, princeps Wallensium, fines baronum Angliæ ingressus cœpit, Complaints against the justiciary. more solito, vacare incendiis ac rapinis. Accesserunt itaque ad regem Anglorum Petrus, Wintoniensis episcopus, et alii consilarii ejusdem regis, dicentes, magnum coronæ suæ fore scandalum, quod Wallenses, nullius momenti latrones,

¹ *Columna.*] The MS. reads erroneously 'Columba.'

A.D. 1232.

annis singulis terras suas et baronum suorum impune pervagantes et incendio cuncta depopulantes nihil relinquunt intactum; quibus rex respondit, 'Audivi,' inquit, 'a thesaurariis meis, quod redditus omnes de scaccario meo vix mihi sufficiunt ad simplicem victum et vestitum et eleemosynas¹ consuetas, unde paupertas non permittit, ut bellicas expediam actiones. Tunc consilarii regi responderunt, 'Si pauper es,' inquit, 'tibi imputes, qui honores et custodias ac dignitates vacantes ita in alios transfers et a fisco alienas, quod nec in divitiis auri vel argenti, sed solo nomine, rex debeas appellari; nam antecessores vestri, reges magnifici et in omni divitiarum gloria ditissimi, non aliunde, sed ex regni exitibus et emolumentis, thesauros impretiabiles congesserunt.' At rex ab eis instructus, quos nominatim exprimere nefas esset, et contumeliis provocatus, cœpit a vicecomitibus et ballivis aliisque ministris suis de redditibus et rebus omnibus ad fisci commodum spectantibus ratiocinium exigere, et quoslibet de fraude convictos a suis officiis deponens exegit ab eis pecuniam suam etiam cum usuris, et tenens coarctabat eos, donec redderent debitum universum. Ranulphum etiam, cognomento Britannum, cameræ suæ thesaurarium, ab officio deponens cepit ab illo mille libras argenti, et loco illius substituit Petrum de ²Rivallis, genere Pictavensem. Et sic undique loculos rex jejunos in brevi, licet non plena gravidos crapula, reparavit.

¹ *Eleemosynas consuetas.*] It appears from the Pipe Rolls, that there were yearly pensions to several monasteries; Tyr., ii. p. 874.

² *Rivallis.*] 'Orivallis' in MS., but marked for correction.

Quod rex ab Huberto justiciario ratiocinium exegit.

Per¹ idem tempus rex, per consilium Petri, Wintoniensis episcopi, Hubertum de Burgo, proto-justiciarium regni, ab officio suo removit, et Stephanum de Segrave, militem, solo nomine subrogavit, quarto kalendas Augusti; et post dies paucos rex, contra Hubertum nuper depositum perturbatus, exegit instanter ab eo ratiocinium de thesauris suis ad scaccarium suum redditis, et de debitis, quæ ei debebantur de tempore patris sui et de tempore suo. Item exegit de dominicis suis rationem, de quibus fuit de possessione die obitus Willelmi comitis Pembroch, tunc justiciarii et marescalli sui, qui ea teneant et habeant in Anglia, Wallia, Hibernia et Pictavia; item de libertatibus, quas habuit tunc temporis in forestis, warennis, comitatibus et aliis locis, qualiter custoditæ sint vel alienatæ; item de quintadecima et sextadecima et aliis redditis, tam ad scaccarium suum, quam ad Novum Templum Londoniarum et alibi. Item de prisis factis pro jure suo relaxando, tam in terris quam in mobilibus; item de ipsis, quæ ipse rex amisit per negligentiam Huberti; item de vastis factis sine commodo ipsius regis, tam per guerram quam alio modo; item de libertatibus, quibus idem Hubertus usus est in terris sibi datis, et episcopatibus et custodiis, sine warranto, quæ pertinent ad dominum regem; item de injuriis et damnis illatis, et clericis Romanis et Italicis, et nuntiis domini papæ, contra voluntatem domini regis, per auctoritatem ipsius Huberti tunc justiciarii, qui nullum consilium voluit apponere ut illa corrigerentur, quod fa-

A.D. 1232.
The justici-
ary removed
from his
office.

¹ Per idem tempus.] Waverl. Annal. p. 194; Chron. Dunst. p. 208.

A. D. 1232. cere tenebatur ratione officii sui ad justiciarium pertinentis ; item de pace regis, qualiter sit custodita, tam versus homines terræ suæ Angliæ, Hiberniæ, Wasconiaë et Pictaviaë, quam alios extraneos ; item de scutagiis, carrucagiis, donis et xeniis, sive custodiarum exitibus, spectantibus ad coronam, quid inde actum sit ; item de maritagiiis, quæ rex Johannes dimisit in custodia ipsius in die quo obiit, et de aliis maritagiiis sibi traditis tempore suo. Ad hæc respondit Hubertus, quod chartam habuit patris sui, per quam ipsum absolvit ab omni ratiocinio de rebus perceptis et percipiendis de thesauris suis, qui ejus fidelitatem in tantum expertus fuerat, quod noluit ab eo ratiocinium audire. Tunc dixit Petrus, Wintoniensis antistes, quod talis charta post obitum regis Johannis non habebat vigorem ; unde ad hunc regem non pertinere proposuit de charta patris sui, quin rationem exigat de prædictis. Hæc sunt quasi levia quædam, de quibus rex rationem ab Huberto exegit ; sed sequuntur gravia plura, in quibus idem Hubertus arguitur quasi de crimine læsæ majestatis, quæ sunt hæc ;

*De quibusdam criminibus a rege Huberto justiciario
objectis.*

Charges
against
Hubert de
Burgh.

Proposuit¹ contra Hubertum idem rex, quod, cum nuntios solennes misisset ad ducem Austriaë, filiam ejus petens in uxorem, scripsit eidem duci Hubertus per literas in præjudicium ipsius regis et regni, dissuadens ne illi filiam suam matrimonio copularet. Item proposuit, quod, cum militarem expeditionem duxisset ad partes trans-

¹ *Proposuit contra Hubertum.*] as recorded by Paris in the *Additamenta*, p. 149.
Compare the charges which were afterwards brought against him,

marinas, ut terras revocaret amissas, idem Hubertus dissuasit ne rex Normanniam intraret hostiliter vel in alias terras ad jus suum spectantes; unde thesaurum suum inaniter consumpsit ibidem, et magnates illi, qui cum ipso erant. Item arguit eum rex, quod filiam regis Scotorum, quam rex Johannes tradidit illi in custodiam, ut eam sibi matrimonio sociaret, ipse proditiose concubuit cum ea et sub fornicatione liberos generavit ex illa nobilemque puellam prostituit, et cum spe regni Scotorum, si fratrem superviveret, eam sibi subtraxit. Dixit etiam rex, quod lapidem quendam pretiosum, qui talem habuit virtutem, quod nulli, qui eum portaret in bello, vinci potuisset, ipse de thesauro suo furtive gemmam sustulit, et eam Loelino inimico suo, regi Walliæ, proditiose transmisit. Item ei imposuit, quod per literas, quas Loelino principi Walliarum transmiserat, suspensus erat ut latro vir nobilis, Willelmus de Brausia, et proditiose peremptus. Hæc omnia, sive in veritate, sive malitiosa mendacitate, sunt domino regi ab æmulis præfati Huberti suggesta, quæ rex instantia vehementi ab eodem Huberto exegit sibi, juxta curiæ suæ judicium, emendari. Tunc Hubertus in arcto positus, cum aliud remedium non haberet, postulavit inducias deliberandi super præmissis, asserens, res magnas esse et arduas, quas rex proposuit contra ipsum; et sic, induciis vix a rege commoto concessis usque ad exaltationem sanctæ Crucis, Hubertus nimis perterritus ad Meretonæ prioratum ab urbe Londoniarum divertit. Sic Hubertus, qui prius, ob regis amorem et regni defensionem, omnium Angliæ magnatum in se provocaverat odium, nunc a rege desertus, absque amicis, fit solus et omni solatio destitutus; solus Lucas, Dublinensis ar-

A. D. 1232.
Charges
against
Hubert de
Burgh.

A.D. 1232. chiepisopus, instantissimis precibus et lachrymis rogavit regem pro eo, sed non potuit in tantis excessibus exaudiri.

*De quibusdam enormibus, quæ justiciario
objiciebantur.*

Charges
against
Hubert de
Burgh.

Cumque vidissent multi, quod favor principis contra Hubertum, quem prius quasi singulariter dilexerat, fuerat permutatus in odium, insurrexerunt ei qui oderunt eum, multa enormia ei imponentes. Dixerunt enim quidam in eum, quod duos nobiles viros, Willelmum comitem Saresbiriensem, et Willelmum Marescallum, comitem Penbroc, veneno procuravit necari, et simili scelere Falcasium atque Richardum, Cantuariensem archiepiscopum, interfecit. Cives vero Londonienses coram rege querimoniam proposuerunt, quod Hubertus sæpe dictus Constantinum concivem suum fecerat sine judicio et injuste suspendi, de quo excessu postulant sibi justitiam exhiberi; unde factum est, quod rex fecit per civitatem Londoniarum communi edicto proclamare, ut omnes, qui habebant querelam contra Hubertum de quacumque injuria, venirent ad regem justitiam illico recepturi. At Hubertus, cum talia cognovisset, ad ecclesiam Meritonix fugit inter canonicos pavidus delitescens. Eodem anno, tempore autumnali, electus est magister ¹Johannes, cognomento Blundus, clericus, apud Oxoniam in theologia studens, in archiepiscopum Can-

¹ *Johannes, cognomento Blundus.*] He was refused consecration to the see of Canterbury, on the plea that he held against the canons two benefices, and had received money from the bishop of Winchester both before and after his election; see below, p. 267. 'Verior tamen causa fuit, quod maxime fovebat partes regis Johannis, cum utriusque gladii dominium sibi vindicaret;' Wood, *Hist. Oxon.* 1674, i. p. 87. According to Godwin, his Christian name was Richard; who states that he was afterwards, in 1215, promoted to the see of Exeter.

tuariensem ; qui a rege susceptus cum monachis quibusdam Cantuariensibus Romam profectus est, ut electionem suam confirmari a sede apostolica impetraret. A.D. 1232.

De quadragesima regi concessa, et quomodo Hubertus de [Burgo] ad Mertonam fugit.

Convenerunt tempestate eadem apud Lamheiam ad colloquium, in exaltatione sanctæ Crucis, coram rege, episcopi et alii ecclesiarum prælati cum proceribus regni, ubi concessa est regi pro debitis, quibus comiti Britanniae tenebatur astrictus, quadragesima pars rerum mobilium ab episcopis, abbatibus, prioribus, clericis et laicis, sicut ea habuerunt, frugibus congregatis, in autumno, anno regni ejusdem regis decimo sexto. Hubertus quoque de Burgo, cui datus fuerat a rege terminus ille ad respondendum super articulis et exactionibus supradictis, iram regis nimis habens suspectam non ausus est comparere, suggestum enim ei fuerat, quod rex habuit consilium illum morte turpissima condemnare ; unde ad pacem ecclesiae confugiens apud Meritonam inter canonicos delituit, donec sibi aura felicior arrideret. Sed tandem cum rex ei significasset, ut veniret ad curiam suam juri pariturus, nuntiavit regi, quod iram ejus habens suspectam ad ecclesiam confugerat, quæ ultimum remedium est omnibus injuriam patientibus, et quod inde non exiret, donec illius animum in melius cognosceret immutatum. Tunc rex in iram versus significavit per literas majori Londoniarum, jam hora instante vespertina, quatenus statim visis literis, conjunctis sibi universis civibus urbis, qui arma movere possent, iret ad Meritonam hostiliter, et Hubertum de Burgo vivum sibi seu mortuum præsentaret.

A tax of a fortieth on all moveables granted.

Hubert flies to Merton priory ;

A.D. 1232.

At major, signo communi pulsato, fecit convenire populum civitatis, et, coram eis regis literis perlectis, præcepit omnibus, ut convolarent ad arma et regium summo mane exsequerentur edictum. Cives autem, cum hujusmodi literas intellexissent, gavisī sunt valde, quia Hubertum mortali ¹odio perstringebant, et in crastino ante lucem exeuntes ab urbe ad viginti millia armatorum versus Meritonam vexilla moverunt et arma, ut mandatum regium prosequerentur effectu. Sed, dum hæc agerentur, suggestum fuit regi a comite Cestrensi, quod, si talem excitaret seditionem in vulgo irrationabili et fatuo, posset rex timere, ne seditionem semel inchoatam sedare non valeret cum vellet; et sic, mutato consilio, rex majori nuntiavit, ut promotum exercitum illico revocaret. At cives animo nimis consternati, reversi sunt in civitatem negotio imperfecto.

*Quomodo Hubertus de Burgo de quadam capella
extractus in turri Londoniensi retruditur.*

takes refuge
in Boisars
church;

Post hæc archiepiscopus Dublinensis multis precibus impetravit a rege inducias Huberto sæpe dicto usque ad octavas Epiphaniæ, ut tempus haberet deliberandi super exactionibus præmissis, quæ urgentissimæ fuerunt, ut, habita deliberatione, regi posset rationabiliter respondere et satisfacere competenter. Tunc Hubertus, accepta, ut credebat, securitate per literas regis patentēs, iter arripuit ad sanctum Ead-

¹ *Odio perstringebant.*] Paris here adds, that some more prudent citizens, headed by Andrew Bukerel and John Travers, determined, before proceeding to extremities, to obtain the bishop of Winchester's advice as to what they should do. Accordingly

they went to his palace, and, waking him 'a somno stupido,' sought his counsel; his answer was, that on either hand it was a bad business, ('durum hinc, durum inde,') but that they must obey the king's orders.

mundum, ubi uxor ejus morabatur, et transiens A.D. 1232. per Essexiam hospitatus est in villa quadam, quæ ad jus pertinet episcopi Norwicensis, in domibus episcopi supradicti; quod factum cum regi relatum fuisset, ira vehementi incanduit, metuens, si Hubertus ita recederet, perturbationem machinaretur in regno; unde facti pœnitens misit post eum Godefridum de Crauecumbe, militem, cum trecentis armatis, præcipiens sub pœna suspensionis, quatenus illum captum reducerent et in turri Londoniensi vinctum incarcerarent. At illi cum festinatione profecti invenerunt Hubertum ¹in quadam capella hospitio suo vicina, crucem in una manu Dominicam et in altera corpus Domini bajulantem; erat enim præmunitus de adventu quærentium animam ejus, et surgens de stratu soporatus ad capellam nudus confugit. At Godefridus supradictus cum sociis armatis capellam ingressus præcepit ex ore regis, ut exiret de capella et veniret Londonias cum rege locuturus; sed cum Hubertus respondit, quod nullo modo exiret, Godefridus et ejus complices rapuerunt de manibus illius crucem et Dominicum corpus, et vinculis illum constringentes arctissimis equo imposuerunt, et ad turrim Londoniarum ipsum ducentes posuerunt in carcere compeditum. Quo facto, nuntiaverunt regi quod factum fuerat; et ille, qui pervigil eorum exspectabat adventum, lætus stratum petivit.

is dragged from the altar;

Quomodo idem Hubertus reductus est ad capellam.

Mane autem facto, cum Rogerus, Londoniensis antistes, cognovisset quo ordine Hubertus extractus fuerat de capella, venit celer ad regem,

by the interference of the bishop of London returned thither.

¹ *In quadam capella.*] According to the Dunst. Chron., the church of Boisars, p. 208.

A. D. 1232.
Case of the
usticiary.

increpans illum audacter, quod pacem sanctæ ecclesiæ violaverat, dixitque, quod, nisi ipsum cum festinatione a vinculis liberatum remitteret ad capellam, a qua erat violenter ejectus, ipse omnes hujus violentiæ auctores excommunicationis sententia innodaret. Rex autem, licet invitus, reatum suum intelligens remisit Hubertum ad capellam, et, ubi captus fuerat a militibus armatis, restituitur ab eisdem quinto kalendas Octobris; quo facto, rex dedit vicecomitibus Hertfordiæ et Essexiæ in mandatis sub pœna suspensionis, quatenus in propriis personis et cum omnibus hominibus duorum comitatuum capellam obsidione vallarent, et ne Hubertus evaderet, vel a quoquam cibum acciperet, explorarent. At vicecomites præfati, sicut eis præceptum fuerat, ad locum venientes capellam cum domo episcopi, quæ prope erat, obsidentes, cinxerunt capellam et locum per gyrum fossato lato satis et alto, ¹decernentes ibi quadraginta dierum excubias observare. Et Hubertus hæc omnia æquanimitè ferens, puram habens conscientiam, ut dicebat, causam suam Domino commendabat; rogans jugiter divinam clementiam, quatenus illum ab instanti periculo liberaret, sicut ipse super omnia honorem regis semper dilexerat eatenus et salutem. Sed rex ipsius meritis male respondens, cui tanto servierat studio, quod regi soli sibi placere sufficiebat, nunc in tali statu constitutus est, quod rex omnibus generaliter prohibuit, ne quis pro eo rogaret vel de Huberto

¹ *Decernentes.*] ‘Ubi, eo per quadraginta dies moram faciente, comitatus Essexiæ capellam obsedit, et ad modum castelli fossata circumfodit;’ Chron. Dunst. p. 208. The reader will find an

account of the pursuit and capture of the fallen justiciary in the record concerning him taken from the Patent Rolls; Rymer, i. p. 208.

in ejus præsentia faceret mentionem. Sed tamen A.D. 1232
 Lucas, archiepiscopus Dublinensis, qui unicus ei
 erat amicus, regi pro eo cum lachrymis inces-
 santer supplicabat, ut saltem quid sibi placeret
 de Huberto facere intimaret; cui rex respon-
 disse fertur, ut ex multis eligeret unum, vel in
 æternum Angliam abjurare, vel perpetuum car-
 cerem subire, vel palam se esse proditorem con-
 fiteri, vel se in regis ponere voluntate. Ad hæc
 respondit Hubertus, quod nullum horum eligeret
 articulorum, ut qui consilium regis nimis habe-
 bat suspectum, quia nihil se fecisse recolit tanta
 confusione dignum; veruntamen, ut domino suo
 regi satisficiat, libenter ad tempus exiret a regno,
 sed illud non abjurabit. Morabatur autem post-
 ea Hubertus in capella præfata multis diebus et
 noctibus obsessus cum duobus servientibus, qui
 ei victualia ministrabant, donec ex præcepto re-
 gis subtracta ei fuerunt omnia cibariorum ge-
 nera et servientes ejus de capella ejecti. Tunc Surrenders
himself to
the sheriffs.
 Hubertus in arcto positus, cum fame perire sibi
 turpe videretur, sponte de capella exivit, offerens
 se vicecomitibus, qui illum observabant; dixit
 enim, se potius velle regis misericordiam expe-
 riri, quam fame detestanda perire. Tunc vincu-
 lis arctioribus constrinxerunt illum vicecomites
 sæpe dicti et equo illum imponentes duxerunt
 ad urbem Londoniarum, ubi, rege jubente, sub
 arcta custodia deputatur in turri compedibus
 mancipatus.

*De collectione quadragesimæ rerum mobilium regi
 concessarum.*

‘ Henricus,¹ Dei gratia rex Anglorum, Petro Writ for
collecting
the tax on
moveables.

¹ *Henricus.*] This writ is also | Col. 16 H. III. m. 2. *dors.* Tyrrell,
 upon record in the Tower, R. | ii. p. 877.

A. D. 1232.
Writ for
collecting
the tax on
moveables.

de Thaneo, Willelmo de Culeworthe et Adæ filio Willelmi, collectoribus quadragesimæ, salutem. Sciatis, quod archiepiscopi, episcopi, abbates, priores et clerici, terras habentes, quæ ad ecclesias suas non pertinent, comites, barones, milites, liberi homines et villani de regno nostro, concesserunt nobis in auxilium quadragesimam partem omnium mobilium suorum apparentium, sicut ea habuerunt in crastino sancti Matthæi anno regni nostri decimo sexto, videlicet, quod de bladis, carrucis, ovibus, vaccis, porcis, haraciis, equis carretariis et deputatis ad wainnagium in maneriis, exceptis bonis, quæ prædicti archiepiscopi, episcopi et aliæ personæ ecclesiasticæ habent de ecclesiis parochialibus et de ecclesiis præbendatis, et præbendis, et terris ad præbendas pertinentibus et ecclesias parochiales spectantibus. Provisum est generaliter a prædictis fidelibus nostris, quod prædicta quadragesima hoc modo assideatur et colligatur; quod, videlicet, de qualibet villa integra eligantur quatuor de melioribus et legalioribus hominibus, una cum præpositis singularum villarum, per quorum sacramentum quadragesima pars omnium mobilium prædictorum taxetur et assideatur super singulos in præsentia militum assessorum ad hoc assignatorum; et postea per sacramentum duorum legalium hominum earundem villarum inquiretur et assideatur quadragesima omnium mobilium, quæ prædicti quatuor homines et præpositi habent; et districte inbrevietur et aperte, de cujus vel de quorum baronia quælibet villa fuerit in parte vel in toto. Et, postquam quadragesima fuerit assisa et in scriptum redacta, rotulus omnium particularum de singulis villis et singulis comitatibus liberetur senescallo singulorum baronum, vel attornato ipsius senescalli, vel

ballivo libertatis, ubi aliquis libertatem habuerit, scilicet, quod baro vel dominus libertatis velit et possit prædictam quadragesimam colligere et pro ea habenda distringere; si vero non velit, vel non possit, vicecomites distractionem faciant prædictam, ita quod nil inde recipiant, sed tota quadragesima prædicta prædictis militibus assessoribus liberetur in majori et securiori villa singulorum comitatum. Et de qualibet villa fiat summa tallia inter senescallum baronis, vel ejus attornatum, vel senescallos domini libertatis, et prædictos assessores. Et deponatur pecunia per eosdem assessores in aliquo loco tutiori ejusdem villæ, ita quod assessores habeant sigilla sua et seras et claves suas super pecuniam prædictam, et vicecomites similiter sigilla sua et seras et claves suas. Et assessores, statim ex quo quadragesima assisa fuerit per ipsos, mittant rotulos suos ad scaccarium de toto itinere suo; et similiter, ex quo dicta pecunia ab eis collecta fuerit, mittant rotulos suos ad scaccarium de recepta sua, et prædicta pecunia reservetur in locis ubi deposita fuit, donec ad mandatum nostrum deferatur usque ad Novum Templum Londoniarum. Nihil autem capietur ab aliquo homine nomine quadragesimæ, qui non habuerit de hujusmodi bonis mobilibus ad valentiam quadraginta denariorum ad minus. Ad prædictam siquidem quadragesimam assidendam in comitatu Hertfordiæ assignavimus vos, et mandavimus vicecomiti nostro de Hertforde, quod singulas villatas comitatus sui certis diebus et locis, quos ei scire facietis, ad mandatum nostrum coram vobis venire faciat, et in omnibus, quæ ad dictum negotium pertinent, vobis intendant et obediant. Valete.'

A.D. 1232.

De morte Ranulphi, comitis Cestriae.

A.D. 1232.
Death of
Ralph, earl
of Chester.

Eodem tempore Ranulphus, comes Cestrensis et Lincolnensis, apud Walingeford ¹diem clausit extremum quinto kalendas Novembris, cujus corpus delatum est apud Cestriam tumulandum. Successit ei in comitatum Cestrensem ²Johannes nepos ejus ex sorore sua, quem genuit comes David, frater Willelmi, regis Scotorum; ³alius autem nepos ejus ex sorore secunda Lincolniae obtinuit comitatum et de barone comes effectus est; comes quoque Arundel, alius nepos ejus, quingentas libratas terrae suscepit.

Circa hos quoque dies, instante festo beati Martini, suggestum fuit Anglorum regi, quod Hubertus, quondam justiciarius, apud Novum Templum habuit thesaurum non modicum sub eorundem Templariorum custodia deputatum. At rex magistrum Templi ad suum vocans colloquium seiscitabatur districtius ab eo si ita fuisset; at ille, non ausus regi veritatem negare, confessus est [quod] habebat pecuniam sibi ac fratribus suis fideliter commendatam, sed quantitatem et numerum penitus ignorabant. Tunc rex cum minis praedictam a fratribus exegit, ut pecuniam illam incontinenti sibi redderent, asserens eam de thesauro suo dolo fuisse subtractam; cui responderunt fratres, quod nulli pecuniam traderent sibi in fide commissam absque

¹ *Diem clausit extremum.*] Paris adds, that, when Hubert heard that one of his greatest enemies was dead, he exclaimed, 'Propietur ei Dominus! Ille homo meus fuit de manibus suis, nec tamen unquam mihi profuit, ubi obesse potuit.'

² *Johannes.*] John le Scot, son of David earl of Huntingdon,

brother of William the Lion, king of Scotland, by Maud, sister and heir of the last earl. Nicolas, Synops. of the Peerage.

³ *Alius . . . nepos.*] John de Lacy; he married Margaret, daughter and heir of Robert de Quincy, earl of Winchester, by Hawise, fourth sister and co-heir of the earl of Chester; *ibid.*

illius licentia, qui illam in Templo commenda-^{A.D. 1232.} verat reservandam. At rex, quia pecunia memorata sub protectione ecclesiæ fuerat deputata, non habuit consilium ut violentiam ingereret; unde thesaurarium curiæ suæ, cum justiciariis suis de scaccario, misit ad Hubertum, qui jam tunc erat in turri Londinensi compeditus, ut pecuniam exigent ab eo regi ex integro assignandam. Nuntii autem prædicti cum Huberto ex parte regis talia præsentassent, respondit continuo, quod seipsum et sua omnia regis submitteret voluntati. Præcepit ergo, ut fratres militiæ Templi claves omnes ex parte sua domino suo regi præsentarent, ut de rebus ibi deputatis suam faceret voluntatem; quod cum factum fuisset, jussit rex pecuniam illam fideliter numeratam in suo reponi thesauro, et rerum omnium inventarum summam in scriptum redigi et suæ præsentiae exhiberi. Invenerunt autem clerici regis et thesaurarius cum eis in illo deposito octo millia libras argenti optimæ monetæ, septies viginti cupas aureas et argenteas bene deauratas, cum tanta pretiosorum lapidum ac nobilitate gemmarum, quod pretium rerum omnium inventarum, ut dicitur, excedebant. His itaque divulgatis, venerunt ad regem quidam, qui Hubertum persequi non cessabant, accusantes eum et dicentes, quod nunc de furto convictus et fraude dignus erat morte turpissima condemnari; quibus rex respondit, ‘ Hubertus a pueritia prius avunculo meo regi Richardo, et postea regi Johanni patri meo, satis servivit fideliter, ut audivi, qui, si contra me male egerit, nunquam per me iniqua morte morietur; malo enim rex factus reputari ac remissus, quam crudelis et tyrannus;’ et, his dictis, concessit Huberto omnes terras, quas ex dono patris sui vel ex emptione

A.D. 1232.

possidebat, ut inde sibi ac suis necessaria provideret. Et paulo post susceperunt Hubertum sub fidejussione Richardus comes, frater regis, Willelmus comes Warenniæ, Richardus comes Marescallus et ¹Willelmus comes de Ferrariis, et missus a rege ad castellum de Divisis traditus est sub custodia quatuor militum prædicatorum comitum, ut sub libera custodia servaretur ibidem. Eodem anno, in crastino sancti Martini, audita sunt tonitrua horribilia, quæ vicissim per dies quindecim continuata multos terruerunt, et præcipue cives Londonienses, qui hanc pestem adeo habent familiarem, quod, si usquam sit in Anglia, ibi non desit; secutum est autem in regno Anglorum inter regem et barones miserabile dissidium, sicut sequens historia declarabit.

De visitatione facta super viros cujuscumque religionis per orbem universum.

The pope's bull for a general visitation of monasteries.

Hoc quoque anno papa Gregorius constituit visitatores super viros religiosos per orbem generaliter universum Christi nomine insignitum sub hac forma; ‘Gregorius episcopus, venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesiæ Cantuariensis, salutem et apostolicam benedictionem. Egressus a facie Dei Sathan, ad fortia manum mittens, de sua calliditate confisus vitiorum laqueis irretire molitur electos in sortem Dominicam evocatos, majores ibi parans ille tortuosus insidiator insidias, ubi graviores conspexerit corruptelas. Sane cum frequenter ad nostram audientiam pervenisset, quod monasteria Cantuariensis provinciæ in spiritualibus enormiter et tempora-

¹Willelmus comes de Ferrariis.] Lincoln and constable of Chester; Rym. i. p. 208.
The writ above alluded to, for Lord Ferrers, has John, earl of

libus per malitiam et incuriam in eis habitantium sunt collapsa, nos culpas eorum nolentes ulterius sub dissimulatione transire, ne, si eas dimiserimus incorrectas, ipsas nostras efficere videamur, monasteriis illis, quæ ad Romanam ecclesiam nullo noscuntur medio pertinere, in eadem provincia constitutis, visitatores, reformatores et correctores, tam in capite quam in membris, deputavimus speciales; plenaria sibi potestate concessa, ut visitantes eadem monasteria vice nostra corrigant et reforment, quæ in ipsis correctionis et reformationis officio noverint indigere, constitutionibus vel correctionibus aliis in provinciali capitulo rite factis in suo robore nihilominus duraturis. Licet autem nobis in plenitudinem potestatis assumptis cura cunctorum immineat generalis; quia tamen vos, qui vocati estis in partem sollicitudinis, super grege vobis commisso specialiter decet esse sollicitos et attentos, ne ovis morbida pereat; universitatem vestram monemus et hortamur, in virtute obedientiæ districtè vobis præcipiendo mandantes, quatenus singuli vestrum, tam in civitatibus quam in diocesibus vestris, per vos ipsos, aut per viros religiosos, qui experimento rerum in hujusmodi visitationibus sunt instructi, loca monachorum, monialium et canonicorum regularium, necnon secularium clericorum, vobis subiecta visitare curetis, tam auctoritate nostra quam vestra generaliter universa reformantes et corrigentes in capite et membris, omni gratia et timore postpositis, in eisdem quæ reformanda noveritis et etiam corrigenda, salvis his, quæ circa religiosos in provinciali capitulo provide sunt statuta juxta constitutionem concilii generalis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; præcep-

A. D. 1232.
The pope's
bull for the
visitation of
monasteries.

A.D. 1232.

tum nostrum taliter impleturi, quod ultionum Deus in illo tremendo iudicio, qui unicuique juxta opera sua reddet, de manibus vestris non requirat sanguinem eorundem, et nos ad id limam correctionis apostolicæ apponere non cogamur. Data Spoleti, quinto idus Junii, pontificatus nostri anno sexto.’

De visitatione facienda super ecclesias exemptas.

Strictness
of the
visitation.

Aliis autem ecclesiis et viris religiosis, qui immediate ad Romanam spectabant ecclesiam, non episcopos, sed abbates, ordinis Cisterciensis maxime et Præmonstratensis, visitatores dedit, viros scilicet indiscretos et ¹nimis asperos, qui in hac visitatione ita insolenter et immisericorditer processerunt, quod in pluribus monasteriis rationis metas excedentes compulerunt multos ad remedium appellationis confugere; qui Romam profecti, post multas pecuniæ effusiones et labores non modicos, visitatores alios impetrarunt. Et, ut tandem breviter dicatur, ista visitatio per orbem universum ad ordinis potius deformationem, quam reformationem, processit; dum omnes, qui in diversis orbis partibus unicam beati Benedicti secuti fuerant regulam, per novas constitutiones ita inveniantur ubique discordes, quod ex omnibus cœnobiis vel aliis virorum religiosorum ecclesiis vix duo habeantur in norma vivendi concordēs. Verum abbas quidam Montis-belli, dum in hac visitatione procedere formidaret, consuluit dominum papam super dubiis quibusdam

¹ *Nimis asperos.*] In the Anal. Dunstap. is recorded the severity exercised by John, abbot of Boxley, and his colleagues, in carrying out the visitation of the monasteries of the Black Monks. The monks appealed to Rome, but in vain. The abbot of Evesham escaped by declaring that monastery only exempt from the bishop of Worcester's visitation, and liable, therefore, to be visited by the archbishop of Canterbury; p. 214.

articulis, a quo, in forma procedendi, talem meruit habere responsionem ; A.D. 1232.

*De consultatione facta ad papam super visitatione
prædicta.*

‘ Ea, quæ pro religionis honestate et religionum salute provide ordinantur, apostolico sunt munimine roboranda, ut suscipiantur devotius et diligentius observentur. Cum ergo per dilectum filium abbatem Montis-belli quædam capitula nobis fuerint præsentata, quæ ad castigandum transgressionem multiples et excessus, quos in quibusdam cœnobiis invenerat, videbantur pro salute ac honestate nostra laudabiliter statuenda, nos examinari et corrigi fecimus, et præcipimus ut inviolabiliter observetis, quæ sigillis venerabilium fratrum nostrorum Hostiensis et Tusculanensis muniri fecimus ad cautelam. Et adhuc volumus et præcipimus auctoritate apostolica, ut visitatores ad generale capitulum convocent abbates, et priores non habentes abbates proprios, tam exemptos quam non exemptos, qui non consueverunt capitulum celebrare ; præidentes in ipso capitulo generali, canonico impedimento ablato. Eos igitur, qui contempserint vel neglexerint convenire, cessante cujuslibet appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam venire compellant, et usque ad satisfactionem condignam, quam in eos rite tulerint, non relaxent ; eadem censura facturi, quæ in eodem capitulo deliberatione provida fuerint ordinata, firmiter observari ; reddituri tam ipsi quam visitatores, et alii quilibet, ministerii Domino, in cujus conspectu nuda sunt omnia et aperta, in extremo examine rationem ; sed et omnem sollicitudinem et diligentiam circa correctionem et reformationem ordinis ad visitationem cœnobiorum stude-

The pope's
directions
to the
visitors.

A.D. 1232.
The pope's
directions to
the visitors
of monas-
teries.

ant adhibere. Porro cum visitatores, secundum statuta generalis concilii, in generali abbatum capitulo processerint ad visitationis officium exsequendum, de statu monasteriorum et observandis regularibus observantiis diligenter inquirant, et tam in spiritualibus quam in temporalibus corrigant et reforment quæ viderint corrigenda; ita quod monachos delinquentes per abbates loci corrigi faciant, eisque injungi poenitentiam salutarem, juxta beati Benedicti regulam et apostolica instituta, et non secundum normam pravæ consuetudinis, quæ jam pro lege quibusdam ecclesiis inolevit. Ipsi etiam visitatores monachos, quos contumaces invenerint et rebelles, juxta modum culpæ, vice nostra, regulari censura compellant absque personarum delectu, non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam vel potentiam amicorum, quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat oves sanas. Si vero abbates in corrigendis, juxta visitorum mandatum et regularia instituta, seipsis suisve monachis inventi fuerint negligentes, proclamentur, corripiantur, et ita puniantur publice in capitulo generali, quod poena eorum sit aliis in exemplum. Prout si abbas aliquis, non exemptus, fuerit a visitoribus nimis negligens et remissus inventus, id loci diocesano denuntiet sine mora, et per illum detur ei fidus et prudens coadjutor usque ad capitulum generale. Quod si dilapidator inventus fuerit, aut alias merito amovendus, per diocesanum, postquam sibi a visitoribus fuerit denuntiatus, amoveatur absque judiciorum strepitu a regimine abbatiæ et a monasterio; provideatur interim administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi monasterio fuerit de abbate provisum. Quod si forsitan episcopus hoc implere noluerit vel neglex-

erit, visitatores, vel præidentes in capitulo generali, defectum episcopi ad sedem apostolicam non differant intimare. Hæc eadem circa exemptos abbates fieri præcipimus, depositione tantum ipsorum sedi apostolicæ reservata; ita tamen, ut abbate, qui videbitur amovendus, interim per visitatores vel in capitulo præidentes ab administratione suspenso, administrator idoneus monasterio deputetur. Illorum autem excessus, et alia quæ visa fuerint intimanda capitulis, præidentes nobis denuntient per fideles nuntios et prudentes, quibus de communi abbatum contributione, juxta cujuslibet facultatem, sufficienter ministrentur expensæ. Sequentes autem visitatores priorum perquirant vestigia diligenter visitatorum, et eorum negligentias et excessus referant sequenti capitulo generali, ut juxta culpam debitam pœnam portent.’ Et hæc de visitatione dicta sufficiant. Eodem anno Rogerus, Londoniensis episcopus, accusatus inter alios de consensu distractionis frugum clericorum Romanorum, ¹ profectus est ad sedem apostolicam, ut suam ibi innocentiam excusaret.

A.D. 1232.

Quod rex Anglorum ministros a curia sua removit.

Anno Domini MCCXXXIII. rex Anglorum Henricus, anno regni sui decimo septimo, tenuit curiam suam ad Natale apud Vigorniam, ubi, ut dicitur, de consilio Petri, Wintoniensis episcopi, omnes naturales curiæ suæ ministros a suis removit officiis, et Pictavenses extraneos in eorum ministeriis subrogavit. Willelmum quoque de Rodune, militem, expulit, qui in curia regis vices

A.D. 1233.
The king
removes his
ministers.

¹ *Profectus est ad sedem apostolicam.*] ‘Apud civitatem Palmensem jocalia et expensas itineris perdidit; quas pro parte vix recuperavit. Quid autem Romæ profecerit, ignoratur;’ Ann. Dunst. p. 215.

A. D. 1233.
Change of
ministry.

gerebat Richardi magni Marescalli ; quod idem Richardus nimis moleste tulit. Walterum quoque Karleolensem episcopum idem rex, per consilium prædictum ab officio thesaurarii prius expellens, centum libras argenti ab eo cepit, et custodias quasdam, quas ei per chartam suam confirmaverat dum viveret, contumeliose subtraxit. Consiliarios vero suos omnes, tam episcopos quam comites, ac barones et quosque de regno suo nobiles, ita præcipitanter abjecit, quod nulli credebat, nisi episcopo memorato et filio¹ ejus Petro de Rivallis ; unde factum est, quod, expulsis castrorum custodibus per totam Angliam, rex omnia sub ipsius Petri custodia commendaret. Tunc Petrus, Wintoniensis episcopus, ut regis favorem liberius obtineret, attraxit in suum consortium Stephanum de Segrave, virum flexibilem, et Robertum Passelewe, qui sub Petro de Rivallis thesauros regis servabat ; et sic contigit, ut illorum consilio et arbitrio universa regni negotia ordinaret. At rex, invitatis Pictavensibus et Britonibus transmari- nis, qui egentes et lucro avidissime inhiantes, venerunt ad duo millia cum equis et armis milites et servientes, quos in suo retinens obsequio posuit in præsidiis castrorum regni in locis diversis, qui homines Angliæ naturales et nobiles totis viribus opprimebant, proditores eos vocabant, quos etiam de proditione apud regem accusabant ; quorum mendaciis rex simplex fidem adhibens tradidit custodias comitatum et baroniarum cum juvenibus nobiles et puellis generosis ; horum autem utrumque sexum turpiter degenerabant, cum ignobiliter maritabant. The-

¹ *Filio ejus.*] By others he is called 'caro suo,' and 'nepoti ;' 'nephew, or rather son, to the

bishop of Winchester ;'	Holin-
shed, p. 215.	

sauroꝝ etiam suozum rex eis custodias cum A.D. 1233. legibus patriis et iudiciis commisit. Quid plura? Iudicia committuntur iniustis, leges exlegibus, pax discordantibus, iustitia injuriosis; et cum nobiles de regno de oppressionibus sibi irrogatis coram rege querimoniam deponerent, episcopo impediēte prædicto, non fuit qui eis iustitiam exhiberet. Episcopus etiam quosdam Angliæ idem episcopus ita apud regem accusabat, quod eosdem quasi hostes publicos devitaret.

Quod Marescallus regem increpavit.

Cumque his et consimilibus injuriis Richardus comes, regni Marescallus, videret tam nobiles quam ignobiles opprimere et jura regni penitus deperire, zelo iustitiæ provocatus, ^{The earl marshal remonstrates.} associatis sibi quibusdam magnatibus, ad regem audacter accessit, increpans eum, audientibus multis, quod per pravum consilium advocaverat extraneos Pictavenses, in oppressionem regni et hominum suozum de regno naturalium, legum pariter ac libertatum; unde regem humiliter rogabat, ut tales excessus corrigere festinaret, per quos coronæ suæ et regni sui subversio imminebat; affirmabat insuper, quod, si hoc emendare diffugeret, ipse et cæteri de regno magnates tandem se ab ipsius consilio subtraherent, quamdiu alienigenarum consortio frueretur. Ad hæc autem respondens Petrus, Wintoniensis episcopus, dixit, quod bene licuit domino regi extraneos quoscumque vellet vocare ad defensionem regni sui et coronæ, et etiam tot et tales, qui possent homines ejus superbos et rebelles ad debitum compellere famulatum. Comes vero Marescal-

¹ *Associatis sibi quibusdam magnatibus.*] ‘Ut pacem et concordiam reformaret, se ipsum exposuit discrimini, se murum inter dominum regem et magnates opposuit,’ *Annal. Waverl.* p. 195.

A.D. 1233.

lus et cæteri magnates perturbati a curia recedentes, cum aliud non poterant habere responsum, firmiter promiserunt ad invicem, quod pro hac causa, quæ omnes tangebatur, usque ad divisionem corporis et animæ decertarent.

De tonitruo hyemali.

Thunder
storms
throughout
England.

Eodem anno, decimo kalendas Aprilis, audita sunt tonitrua terribilia, et secuta est per totam æstatem¹ tanta pluviarum inundatio, quod ubique vivaria confregit, et stagna atque molendina per universam fere Angliam a suis sedibus violenter evulsit; nempe in campis arabilibus et fructiferis, in partibus diversis, et aliis insolitis locis, proruperunt fontes per rivulos discurrentes, ex quibus aqua inter fruges stans, ad modum stagni collecta, admirantibus multis, pisces fluviales produxit; molendina etiam in stationibus et sedibus fiebant diversis, ubi nunquam antea visa fuerunt. Eodem quoque tempore, sexto scilicet idus Aprilis, circa horam diei primam, in finibus Herefordiæ et Vigorniaë apparuerunt in cælo quatuor soles adulterini circa solem naturalem diversi coloris, quidam in semicirculis, quidam in rotundis. Hi soles plusquam mille² viris fide dignis apparentes terribile illis spectaculum præbuerunt; unde quidam eorum propter visionem insolitam pinxerunt soles et circulos diversis coloribus insignitos in pellibus literalibus, ne res tam insolita a memoriis hominum laberetur. Secuta est autem eodem anno in partibus illis guerra crudelis, strages et humani sanguinis

¹ *Tanta pluviarum inundatio.*] very great; Annal. Waverl. p. 194.

In Waverley new monastery, it is said, the water rose to the height of eight feet. Many men and much cattle were drowned, and the loss in other respects was

² *Viris fide dignis.*] The bishop of Hereford and Sir John Monmouth are among those spoken of as witnesses of these phænomena.

effusio terribilis, et per totam Angliam, Walliam et Hiberniam perturbatio generalis. Circa idem denique tempus, mense Junio, in parte australi Angliæ visi sunt a multis secus maris littus immanissimi duo dracones in aere graviter præliantes, atque post diutinam pugnam unus alterum superavit, et fugatum usque in profundum abyssi insecutus est, nec amplius visi fuerunt. A.D. 1233.

De cassatione Cantuariensis electi.

Per idem tempus cassatus est magister Johannes, cognomento Blundus, Cantuariensis ¹electus. Divulgatum quidem erat Romæ, quod post electionem suam acceperat ex dono Petri, Wintoniensis episcopi, mille marcas argenti, præter alias mille marcas, quas eidem Johanni crediderat, ut promoveretur, unde constat manifeste, quod magis ei nocuit quam profuit familiaritas episcopi memorati; confessus præterea Romæ fuerat idem Johannes, ut dicitur, quod duo habebat beneficia, quibus cura annexa fuit animarum, contra statuta concilii generalis, qua præsumptione creditur reprobatus. Sed quoniam, jam cassatis tribus ecclesiæ Cantuariensis electis, præfata fuit diu ecclesia a pastore viduata, dedit monachis, qui cum electo cassato venerant, potestatem eligendi magistrum ²Eadmundum, ecclesiæ Saresbiriensis canonicum, in pastorem animarum suarum; cui etiam pallium transmisit, ne tanta sedes metropolitana a pastore diutius frustraretur. Monachi vero nec ipsum nec alium quemlibet, nisi de consensu conventus sui, recipere decreverunt.

The arch-
bishop of
Canterbury
elect rejected
by the pope.

¹ *Electus.*] See above, p. 248, called from the place of his burial, afterwards canonized.
note.

² *Eadmundum.*] Edmund Riche, He was the author of the 'Speculum Ecclesiæ.'
of Pountney or Pontigny, so

De discordia orta inter regem et magnates regni.

A. D. 1233.
The barons
refuse to
meet the
king at
Oxford.

Circa dies istos, cum Petrus, Wintoniensis episcopus, et complices ipsius in odium gentis Anglorum pariter et contemptum cor regis ita immutabiliter perverterant, ut eorum exterminium modis omnibus moliretur, invitavit paulatim tot Pictavensium legiones, quod totam fere Angliam repleverunt, quorum rex agminibus quocumque pergebat vallatus incessit; nec quicquam fiebat in regno, nisi quod Wintoniensis episcopus et Pictavensium turba disponebant. Tunc rex, missis literis suis, vocavit omnes de regno comites et barones ad colloquium, ut venirent apud Oxoniam ad festum sancti Johannis; sed ipsi noluerunt ad ejus mandatum venire, tum propter insidias alienigenarum, tum propter indignationem, quam conceperant adversus regem, qui extraneos ob eorundem baronum vocavit contemptum; et, cum hoc regi per nuntios solennes denuntiassent, iratus est vehementer, et judicialiter jussit diffiniri, quo ordine debeat eos compellere ad suam curiam convenire. Tunc decretum est per judicium, ut tertio vocentur a rege, ut probet si venire velint, an non. In hoc autem colloquio ¹frater quidam de ordine Prædicatorum, qui coram rege et quibusdam episcopis præsentibus verbum Dei prædicabat, libera voce regi patenter dixit, quod nunquam diuturna pace frueretur, nisi Petrum, Wintoniensem episcopum, et Petrum de Rivallis, ejus ²filium, a suo consilio removeret. Cumque alii multi, qui aderant, id ipsum regi protestarentur, significavit magnatibus memoratis, ut venirent apud

¹ *Frater quidam.*] By name | consanguineum.' In the Chron. Robert Bacon, according to Paris. | Dunst. he is called ' Petrum de

² *Filium.*] Paris adds, ' sive | Orivalle,' p. 218.

Westmonasterium quinto idus Julii ad colloqui- A.D. 1233.
um, et ibi per eorum consilium emendaret quic-
quid de jure noverat corrigendum. Sed cum
audissent magnates præfati, quod paulatim ap-
plicuerunt in regno prædones multi cum equis
et armis a rege invitati, cum nullum pacis sig-
num vidissent, supersederunt ad diem sibi statu-
tum venire, denuntiantes regi per nuntios solen-
nes, quatenus, omni dilatione remota, ejiceret Pe-
trum, Wintoniensem episcopum, et cæteros Pic-
tavenses de curia sua, sin autem, ipsi omnes de
communi consilio totius regni ipsum cum iniquis
consiliariis suis a regno depellerent et de novo
rege creando tractarent.

Quod rex Anglorum quosdam viros nobiles exulavit.

His ita gestis, rex animo consternatus est ve- The bishop of
Winchester
advises the
king.
hementer et ejus curia tota, vultum demittentes
et non mediocriter metuentes, ne fieret error filii
patris errore deterior, quem homines sui de fas-
tigio regni deponere satagebant. Tunc Petrus
sæpe dictus episcopus consilium regi dedit, ut
arma moveret contra rebelles homines suos, et
castella eorundem ac terras Pictavensibus con-
ferret, qui regnum Angliæ a suis proditoribus
tuerentur. Rex autem inprimis iram conceptam
in Gilebertum Basset, virum nobilem, retorquens
spoliavit¹ eum a quodam manerio, quod ex dono
Johannis regis acceperat; qui cum a rege quod
jus suum erat repeteret, vocavit eum proditorem,
comminans, quod, nisi a curia sua recederet, sus-
pendio traderetur. Richardum quoque² Siuard,

¹ *Spoliavit eum.*] ‘Sathana fa-
bricante, . . . ordine juris præ-
termisso, de consilio Pictaven-
sium;’ Chron. Dunst. p. 218.

² *Siuard.*] Wikes also calls him

Siward, and he is so spoken of
in the Chron. Dunst. in certain
passages. The king gave his
lands and those of Basset to
Peter de Rivaulx: Wikes, p. 42;
Annal. Waverl. p. 196.

A. D. 1233.

militem strenuum, qui ejusdem Gileberti ¹ sororem habuit sibi matrimonio copulatam sine ipsius licentia, ut dicebat, jussit rex capi et captum sibi presentari. Alios quidem omnes de regno nobiles et potentes suspectos habens obsides exegit ab eis, significans universis per literas suas, quatenus infra kalendas Augusti tot et tales sibi obsides presentarent, quibus ab ejus animo omnem rebellionis suspicionem auferrent.

Quod Marescallus prævinitus sit de prodicione.

The earl
marshal
warned of
the intrigue
against him.

Cumque comites ac barones Angliæ in magno militiæ apparatu Londonias tenderent ad colloquium kalendis Augusti sibi præfixum, Richardus comes Marescallus cum cæteris venire proponens hospitatus est cum ² sorore sua, uxore scilicet Richardi fratris regis; quæ cum fratrem interrogasset, quo iter haberet, respondit ille, quod ad colloquium apud Westmonasterium constitutum venire festinaret. Cui illa, ‘Noveris, frater carissime, quod paratæ sunt tibi insidiæ, si venias, ut capiaris ab inimicis tuis, qui te regi et episcopo Wintoniensi presentabunt, ut de te faciant, sicut de Huberto comite Cantia fecerunt.’ Marescallus vero vix credere consensit verbis sororis suæ, quousque modum captionis et a quo caperetur probabilibus argumentis ostendit. At comes Marescallus tunc primo dictis sororis suæ fidem adhibens nocte superveniente iter arripuit, nec prius frænum cohibuit, donec in Walliam festinus viator pervenit. Venerunt autem ad colloquium prædictum comes Cestrensis, comes Lincolnensis, comes de Ferrariis et comes Richardus frater regis, cum aliis comitibus et baronibus multis, sed nihil ibi actum fuit

¹ Sororem.] Paris adds ‘aut | ² Sorore sua.] ‘Isabella;’ Paris. neptem.’

propter absentiam comitis Marescalli et Gile-
berti Basset et quorundam aliorum absentiam
magnatum; unde rex, per consilium episcopi
Wintoniensis et Stephani de Segrave, fecit in-
vitare per literas omnes de regno magnates, qui
sibi ad militare servitium tenebantur, ut veni-
rent apud Gloverniam cum equis et armis die
Dominica ante assumptionem beatæ Mariæ. Sed
Richardus Marescallus et alii multi, qui fuerant
confœderati, cum venire nolissent ad diem sta-
tutum, fecit rex, ac si proditores essent, villas
eorum concremari, parcos et vivaria eorum de-
struere, castella obsidione vallare. Erant autem
viri nobiles, qui confœderati dicebantur, comes
scilicet Marescallus, Gilebertus Basset et fratres
ejus, viri bellatores et nobiles, Richardus Siuard,
vir martius ab adolescentia, Walterus de Clifor-
dis, miles electus, cum aliis multis, qui eis ad-
hærebant; quos omnes rex absque iudicio curiæ
suæ et parium suorum exules et proscriptos de-
nuntiari fecit, terras eorum Pictavensibus dedit,
præcepitque ut eorum corpora caperentur, ubi-
cumque invenirentur in regno.

*Quod Wintoniensis episcopus quosdam confœderatos
comitis Marescalli corrupit.*

Tunc Petrus, Wintoniensis episcopus, qui vires
comitis Marescalli et confœderatorum suorum in-
firmare modis omnibus conabatur, comites Ces-
triæ et Lincolnæ, datis mille marcis, corrupit,
ut, relicto Marescallo et causa justitiæ, ad re-
gem eos retro respicientes retorqueret et partes
ejus foverent; nam Richardus, frater regis, diu
ante ad regem reversus erat, qui Marescallo
prius adhærebat. Hæc cum Marescallus cog-
novisset, confœderatus est Loelino, principi Nor-
walliæ, et aliis potentibus regionis illius, inter-

The earls of
Chester and
Lincoln de-
sert the
marshal.

A.D. 1233. posito juramento, quod nullus eorum contra regem sine altero concordaret. Tunc in crastino assumptionis beatæ Mariæ applicuerunt apud Doveram viri armati multi ex regionibus transmarinis venientes et ad regem apud Gloverniam pervenerunt; at rex illorum et aliorum multorum vallatus catervis ad Herefordensem urbem exercitum promovit.

De injuria Waltero, Karleolensi episcopo, illata.

The bishop
of Carlisle
detained at
Dover.

Per idem tempus Walterus, Karleolensis episcopus, ¹pro quibusdam injuriis a rege sibi, ut dicebat, illatis, apud Doveram navem erat ingressus, ut transfretaret; supervenerunt autem quidam ministri regis ejicientes eum cum suis omnibus de navi, et firmiter ex parte ipsius regis prohibebant, ne absque illius licentia de regno exiret. Applicuit autem tempore, quo hæc facta erant ibidem, Rogerus, Londoniensis episcopus, a curia Romana reversus, qui videns injuriam, quæ præfato inferebatur episcopo, excommunicavit omnes, qui in eum manus injecerant violentas, et inde profectus ad regem invenit eum apud urbem Herefordensem in Wallia cum exercitu copioso; ubi in præsentia regis et quorundam episcoporum de violentia Karleolensi episcopo illata supradictam excommunicationis sententiam innovavit, non mediocriter rege murmurante, et, ne talem ferret sententiam, prohibente; cum quo etiam omnes qui adfuerunt episcopi illos excommunicaverunt universos, qui hujus perturbationis occasionem præstabant.

¹ *Pro quibusdam injuriis.*] | custodiis et quæstibus spoliatus.
' Officio thesaurarii et omnibus | Chron. Dunst. p. 221.

*De diffidatione Marescalli et obsidione cujusdam
castelli ipsius.*

Et, his ita gestis, rex, de consilio episcopi Wintoni-
toniensis, Marescallum diffidavit per episcopum
Menevensem, et sic jussit contra eum arma mo-
vere et ejus castella obsidere. Ingressus igitur
rex terram comitis Marescalli obsedit quoddam
castellum ipsius, cujus nomen non teneo, sed
cum per dies plurimos illud graviter impugnasset
et parum vel nihil profecisset, deficientibus ex-
ercitui alimentis, cum obsidionem solvere oportebat,
puduit regem illuc venisse; unde, missis
quibusdam episcopis ad comitem Marescallum,
exegit ab eo, quatenus propter honorem ipsius
regis, ne videretur castellum inaniter obsedis-
se, illud sibi tali conventionem redderet, ut infra dies
quindecim illud integrum ipsi restitueret Mares-
callo, atque omnia, quæ in regno erant corri-
genda, interim per consilium episcoporum, qui
super his fidejussores fuerant, emendaret. Et
ad hoc perficiendum constituit rex diem ipsi Ma-
rescallo ac cæteris exulatis Dominica proxima
post festum sancti Michaelis apud Westmonas-
terium; et sic redditum est regi castellum, obsi-
dione soluta.

A. D. 1233.
The king
follows the
earl marshal
into Wales.

De liberatione Huberti de Burgo.

Circa dies istos Petrus, Wintoniensis episco-
pus, qui modis omnibus in mortem Huberti de
Burgo aspirabat, qui in castro de Divisis in vin-
culis tenebatur, nulla de Huberto mentione facta,
regem rogavit attentius, ut concederet sibi castri
custodiam memorati, ¹hac occasione ductus, ut
copiam haberet illum, sicut dicitur, perimendi.

Escape of
Hubert the
justiciary;

¹ *Hac occasione ductus.*] Annal. Waverl. p. 195.

A.D. 1233.

Sed Hubertus, de his omnibus ab amicis suis, qui in curia regis erant, præmunitus, ¹ duobus ministris, qui ei in illius castri præsidio serviebant, hoc consilium revelavit, qui ipsius miseriam compatientes sollicite cogitabant, qualiter illum a mortis discrimine liberarent. Considerata igitur temporis opportunitate, dormientibus castelli custodibus, unus eorum, altero explorante, in prima noctis sancti Michaelis vigilia, præfatum Hubertum in humeris arripuit compeditum, et de² turri clam custodibus descendens et pium furtum ferens latitudinem castelli pertransiit, veniensque ad majorem portam per ostium exivit, et sic quoddam ingens fossatum, licet cum difficultate, transcendens ad ecclesiam villæ parochialem impiger viator conscendit, nec sarcinam prius deposuit quam ad majus altare lætus pervenit. Juvenes vero, qui Hubertum liberaverant, ab eo recedere nolentes pro laude sibi futurorum reputabant et mercede cælesti si pro tanti viri liberatione mortem incurrerent temporalem.

*Quod Hubertus ab ecclesia violenter extractus
incarceratur in castello.*

dragged
from the
altar of a
neighbour-
ing church.

Evigilantibus interea castellanis, cum Hubertum in loco non reperiunt consueto, perturbati sunt valde, et catervatim exeuntes de castro cum laternis et fustibus et armis omnia quærendo perlustrabant, donec a referentibus audierunt Hubertum esse in ecclesia ex compeditibus liberatum, quo cum tumultu concurrentes invenerunt eum ante altare crucem Dominicam

¹ *Duobus ministris.*] In MS. 'duos ministros,' but with a mark for correction.

'Dimissus per cancellos cum mappis et manutergiis, agente quodam armigero suo, qui solus de familia sua ei ministravit.'

² *De turri . . . descendens.*] Chron. Wikes, p. 42.

manibus bajulantem; quem atrociter arripientes et fustibus pariter ac pugnis impie cædentes et pellentes, cum duobus liberatoribus suis illum ad castellum reducunt et graviori quam prius custodiae committunt. Sed res gesta cum ad aures Roberti, Saresbiriensis episcopi, pervenisset, venit celeriter ad castellum, præcipiens ipsis ecclesiae violatoribus, ut Hubertum ad pacem ecclesiae quantocius reductum in illo statu, quo illum invenerant, dimitterent absolutum; sed castellani tumultuose satis episcopo respondentes dixerunt, se malle quod Hubertus suspenderetur, quam ipsi; et, cum illum reducere noluisent, episcopus de commissa sibi potestate omnes nominatim excommunicavit, qui illum detinebant et qui in eum manus injecerant violentas. Tunc episcopus ille, conjuncto sibi Rogero, Londinensi episcopo, et quibusdam aliis episcopis, venit ad regem super injuria Huberto illata coram eo querelam deponens, nec prius ab eo recessit quam Huberti liberationem impetravit; et sic in ecclesia, invito rege, remissus est decimo quinto kalendas Novembris. Sed rex iratus vicecomiti provinciae illius dedit per literas in mandatis, ut ecclesiam obsideret, donec Hubertus in ea ex ciborum inedia moriretur.

Quod Marescallus castellum cepit, quod regi tradiderat.

Per idem tempus, elapsis quindecim diebus postquam comes Marescallus regi castellum suum tradiderat, ut prædictum est, ut sibi redderet repententi, misit ad regem, termino evoluto, rogans, ut juxta pactum restitueret sibi castrum suum, de quo fidejussores constituerat episcopum Wintoniensem et Stephanum de Segrave, qui tunc vices justiciarii gerebat sub rege, quod

The marshal recovers one of his castles.

A.D. 1233.

etiam firmaverant interposito juramento. Rex autem cum indignatione respondit, quod illud non redderet, sed alia potius ejus castella sibi subjugaret. Sed idem Marescallus, cum neque fidem neque juramentum vel pacem aliquam viderat a regis consiliariis observari, collegit exercitum copiosum, et castellum, quod suum fuerat, obsidione vallavit, machinas per gyrum adhibuit et municipium illud levi negotio sibi subjugavit.

Court at
West-
minster.

Erat interea rex apud Westmonasterium ad colloquium septimo idus Octobris, sicut magnatibus promiserat, ut per eorum consilium emendaret ea, quæ in regno fuerant corrigenda; sed iniquum, quod tunc sequebatur, consilium id fieri non permisit. Plures autem episcopi, qui præsentibus erant, regem humiliter rogabant in Domino, quatenus pacem faceret cum baronibus suis et nobilibus, quos absque iudicio parium suorum exulaverat, villas eorum et ædificia igne cremaverat, silvas et pomeria succiderat, parcos et stagna destruxerat. Proditores eos vocabat, per quos pacem regni sui et consilia ordinare et negotia disponere debebat. Ad hæc respondens Petrus, Wintoniensis episcopus, dixit, quod non sunt pares in Anglia, sicut in regno Francorum; unde licet regi Anglorum per justiciarios, quos constituerit, quoslibet de regno reos exulare et mediante iudicio condemnare. Episcopi quoque hæc audientes quasi una voce comminabantur, quod nominatim excommunicarent principales regis consiliarios iniquos; ex quibus in capite expresserunt Petrum, Wintoniensem episcopum, et filium ejus Petrum de Rivallis, Stephanum de Segrave, justiciarium, et Robertum Passelewe, thesaurarium. Quibus respondens Petrus Wintoniensis allegavit quod Romæ fuerat a summo pontifice episcopus consecratus et

inde ex eorum potestate exemptus, unde, ne in eum ferrent sententiam, sedem apostolicam appellavit. Tunc episcopi omnes illos excommunicaverunt, qui animum regis immutaverant in odium naturalium hominum suorum de regno, et omnes qui perturbarent pacem regni. A.D. 1233.

Quod rex omnes citari fecit, qui sibi tenebantur ad servitium militare.

In hoc quidem colloquio venerunt nuntii ad regem, dicentes, quod comes Marescallus cepit castellum suum in Wallia, et quosdam ex militibus suis ibidem interfecerat et de ministris. Hæc audiens rex perturbatus est valde, et præcepit episcopis cunctis, ut Marescallum nominatim excommunicarent, qui castrum occupaverat memoratum; sed illi e contra communiter dixerunt, indignum esse illum excommunicare, quia castellum quod suum fuerat occupavit. Tunc rex perturbatus misit literas in omnes Angliæ fines, præcipiens cunctis, qui sibi ad militare servitium tenebantur, quatenus in crastino festivitatis Omnium sanctorum apud Gloverniam cum equis et armis convenirent, quo ipse vellet conducere illos, ituri. Per idem tempus Hubertus de Burgo, quondam Angliæ justiciarius, ¹raptus est ab ecclesia de Divisis a viris armatis, ubi militaribus armis decenter indutus circa horam diei primam ²in Walliam adductus est ac regis hostibus sociatus tertio kalendas Novembris.

The king summons all who owed military service to meet him at Gloucester.

¹ *Raptus est ab ecclesia.*] ‘Subito superveniens Ricardus Syward cum multitudine armata volentem extraxit de ecclesia;’ Chron. Dunst. p. 221. ‘Eo nolente;’ Wikes, p. 42.

² *In Walliam adductus est.*] ‘Usque Austiclive, et præparatis ibi navibus, brachium maris, quod ibi adjacet, transnavigantes ipsum Hubertum in castrum de Strugoyl . . . in tuto deposuerunt;’ *ibid.* p. 42.

*Quod exulati invaserunt exercitum regis Angliæ apud
Grosmund.*

A. D. 1233.
The king
defeated
before
Grosmund.

Circa eosdem etiam dies, cum rex Anglorum apud Gloverniam copiosum collegisset exercitum, versus Herefordiam in Walliis legiones promovit, et inde terram ingressus Marescalli, ad ipsius exhæredationem et corporis captionem modis omnibus anhelabat. Sed ille, ut bellator providus, ante regis adventum armenta subtraxerat et victualia, unde rex, pro alimentorum defectu moram ibi facere non valens, ¹ad castellum de Grosmund cum exercitu suo divertit; ubi cum per dies aliquot moram protraxisset, Marescallus et ejus confœderati cum proscriptis ab Anglia et exulatis, missis exploratoribus, cognoverunt regem infra castelli ambitum pernoctare, et majorem partem exercitus extra in tentoriis excubias celebrare. Tunc omnis multitudo, præter Marescallum, qui regem invadere noluit, cum Wallensibus et exercitu copioso, ²in die sancti Martini episcopi post crepusculum illuc prope-rantes, et illos, qui in tentoriis soporati jacebant, invadentes, equos plusquam quingentos cum clitellis et spoliis ac suppellectili universa occuparunt, fugientibus cæteris fere nudis quo impetus quemque ducebat; nec ex eis quenquam lædere vel captum abducere voluerunt victores illi, præter duos milites, qui ex omnibus interfecti fuerunt. Ceperunt ergo bigas et vehicula cuncta, quibus pecunia et victualia ferebantur et arma, atque sarcinis bene dispositis ad tuta latibula sunt reversi. Hujus autem rei testes sunt Petrus Wintoniensis, Radulphus Cicestrensis, episcopi, Stephanus de Segrave, regis justiciarius, Petrus de Rivallis,

¹ *Ad castellum de Grosmund . . .* | ² *In die sancti Martini episcopi.*
divertit.] Chron. Dunst. p. 219. | 11th of November.

thesaurarius, Hugo Bigod comes de Nortfolc, A.D. 1233. Willelmus comes Saresbiriensis, Willelmus de Bello-campo, Willelmus de Albeneio junior, et alii multi, qui nudi fugientes omnia quæ sua erant amiserunt; unde factum est, quod multi de exercitu regis, et illi præcipue qui equos et arma et pecuniam amiserant universam, recedentes cum maxima confusione ad propria sunt reversi. Tunc rex, qui quasi solus inter hostes remanserat, posuit in castris Walliæ ruptarios Pictavenses, qui impetum reprimerent inimicorum suorum, et constituit principes illius militiæ viros nobiles, Johannem Monemutensem et Radulphum de Thoenio, cui etiam dedit castellum Matildis, quod antiquitus sui juris erat; et, his ita gestis, rex apud Gloverniam reversus est. Eodem tempore, in principio mensis Novembris, audita sunt tonitrua horribiles coruscationes emittentia per dies plurimos; unde dici solet in antiquo rusticorum proverbio, quia mulier non debet lugere mortem mariti vel filiorum suorum, sed tonitrum potius hyemale, quia semper aut famem aut mortalitatem vel tale aliquid denuntiat adfuturum.

De gravi conflictu inter Marescallum et ¹gentes transmarinas.

Eodem tempore, cum comes Marescallus terras hostium suorum ingressus prædas ageret et armenta contraheret, venit casu ad oppidum Monemutense, quod erat sibi contrarium, ubi jubens exercitum suum procedere ad expeditionem inchoatam, cum centum sociis equitibus ad castellum divertit, ut situm ejus exploraret, quod post dies paucos proposuit obsidere; qui

The earl marshal taken prisoner by Baldwin de Guisnes.

¹ *Gentes transmarinas.*] ‘Gentibus transmarinis’ in MS., but marked for correction.

A. D. 1233.
The marshal
taken
prisoner ;

cum oppidum circuiret, conspexit eum Baldewinus de Gysnes, miles strenuus, cui rex illud custodiendum commiserat cum Pictavensibus multis, et intelligens quo Marescallus erat, quem vidit castellum cum paucis explorare, exiit cum mille viris fortissimis et eleganter armatis, et rapido equorum cursu ad illum tendens captum cum suis omnibus ad oppidum perducere cogitabat. Videntes autem commilitones comitis Marescalli hostes cum impetu advenire, dederunt ei consilium, ut sibi per fugam consuleret, inconsultum dicentes cum paucis armatis cum tot hostibus dimicare; quibus respondens Marescallus dixit, se nunquam eatenus in prælio hostibus terga dedisse; nec se modo id facturum affirmat, exhortans omnes, ut viriliter defensionem vacarent, ne morerentur inulti. At castellani interim in eos fortiter irruentes cum lanceis et gladiis rem agebant. Fit gravissimus utrobique conflictus, sed nimis inæqualis, dum centum solummodo viri contra mille adversarios in multo diei spatio dimicabant. Baldewinus vero de Gysnes tandem, associatis sibi duodecim bellatoribus fortissimis et eleganter armatis, impetum faciens in comitem Marescallum voluit ipsum sub captione conclusum vivum perducere ad castellum; sed ille hostes non permisit propius accedere, gladium vibrans a dextris et a sinistris, sed, quoscumque cum illo contingebat, aut in terram mortuos prosternebat aut attonitos ictuum collisione reddebat, et sic solus contra duodecim, et illi contra solum, diutius decertabant. Sed demum, cum ad eum accedere non auderent, cum lanceis suis equum, in quo sedebat, peremerunt; sed ille, qui doctus erat in præliis Gallicanis, militem quendam sibi importunum per pedem arripuit, quem cum in terram

prostravisset, equum ipsius agili saltu conscendit A.D. 1233.
 et iterum defensiononi vacavit. Tunc Baldewinus,
 miles in armis strenuus, indigne ferens quod
 Marescallus contra tot adversarios sese tamdiu
 defendebat, potenter irruit in eum, et, arrepta
 ipsius galea de capite ejus, eam ita truculenter
 avulsit, quod sanguis ex ore ejus et naribus
 emanavit; et arripiens per frænum equum illius
 cœpit sessorem trahere versus castellum, aliis a
 tergo illum impellentibus, ut ferrent auxilium
 Baldewino, qui Marescallum per frænum trahe-
 bat. Tunc ille, tanquam in arcto positus, ensem
 in gyrum vibrando, ictus importabiles hostibus
 imprimens, duos ex illis in terram attonitos pro-
 stravit; sed nec sic sese ab eorum manibus libe-
 ravit. Videns autem balistarius quidam ipsius is rescued.
 Marescalli dominum suum in periculo constitu-
 tum, de balista spiculum emisit, et percutiens in
 pectore Baldewinum, qui Marescallum ducebat,
 armis non obstantibus illum perforavit, qui cor-
 ruens in terram credidit se lethaliter vulneratum;
 at sodales Baldewini, hoc viso, Marescallum re-
 linquentes dominum in terra jacentem erexerunt,
 quem quasi mortuum reputabant.

*De strage facta a Marescallo apud castrum
 Monemutense.*

Et, dum hæc agerentur ibidem, nuntiatum est Battle of
 Monmouth.
 exercitui ipsius Marescalli, quæ facta fuerant de
 illo, et venientes cum festinatione in auxilium
 ejus hostes quantocius compulerunt in fugam.
 At illi fugientes ad fluvium quendam, qui prope
 erat, ut evaderent, invenerunt pontem confrac-
 tum, per quem transire sperabant, unde plurimi
 in flumen sese mittentes cum equis et armis sub-
 mersi perierunt; alii autem, quo fugerent non
 invenientes, interfecti sunt, atque alii sub cap-

A. D. 1233.
Battle of
Monmouth.

tione conclusi; unde pauci ex omnibus, qui de castello exierant, incolumes sunt reversi. Capti sunt autem in parte Marescalli Thomas Siuard, juvenis in militia præclarus, cum duobus sociis militibus, qui perducti sunt ad castellum captivi. Ex castellanis autem capti sunt milites quindecim et plurimi servientes, quos Marescallus in vinculis cum equis et armis ac manubiis multis abduxit. In loco quidem certaminis remansit occisorum multitudo, tam Wallensium quam Pictavensium et transmarinarum nationum; atque Baldewinus de Gysnes ad castellum a sociis perducitur graviter vulneratus. Acta est autem hæc belli congressio ¹in die beatæ Catharinæ virginis apud castellum memoratum. Post hunc quoque conflictum comes Marescallus, cum Gilberto Basset et Richardo Siuard ac cæteris exulatis et eorum confœderatis, Pictavensibus, qui erant in castris regis Anglorum, lethiferas posuerunt insidias, ita ut, quotiescunque aliquis eorum ad prædandum exivit, nihil aliud quam capita singulorum pro redemptione ceperunt; unde contigit in brevi, quod tam numerosa extraneorum multitudo in viis et locis diversis interfecta jaceret, quod aerem totum corrumperet regionis.

*De admirabili prudentia et zelo justitiæ comitis
Marescalli.*

Proposals
made by the
king to the
marshal.

Per idem tempus, cum comes Marescallus in abbatia de Margan pernoctaret, venit ad eum die Jovis proximo ante Natale frater quidam de ordine Minorum, Agnellus nomine, qui familiaris erat domino regi et consiliarius ipsius, ut ostenderet ei quæ audierat in curia regis de eo ab ipso

¹ *In die beatæ Catharinæ virginis.*] 25th November.

rege et consiliariis ejus. Ab ore autem regis audivit, ut dicebat, quod, licet dictus comes Marescallus proditiose nimis et inique egerit contra ipsum, si, nulla facta narratione de aliquo opere præambulo, se vellet omnino supponere misericordiæ domini regis, rex concederet ei vitam cum membris, et tantum de Herefordschire quod inde honeste vivere posset. Audivit etiam a Stephano de Segrave, quod forma misericordiæ revelaretur duobus de amicis Marescalli, de quibus confideret, qui Marescallo significarent, quod secure se posset ponere in misericordia regis; ita tamen, quod nec ipsi Marescallo, nec alii, formam misericordiæ revelarent, et sic ignorans formam hoc faceret. Ab aliis autem de curia audivit, quia expediebat Marescallo facere prædicta; quia debitum, quia utile, quia tutum. Debet, quia fecit injuriam domino suo; qui, antequam rex invaderet terram aut personam Marescalli, ipse invasit terram domini regis, combussit, destruxit, et homines interfecit. Et si ille dicit, se hoc fecisse ad tuitionem corporis sui et hæreditatis suæ; dicunt, quod non, quia in ipsius corpus aut exhæredationem non fuit unquam aliquid machinatum. Nec ob hoc tamen deberet prorumpere contra dominum suum, donec oculata fide cognosceret regem contra ipsum talia cogitare; et ex tunc liceret talia attemptare. Ad hoc respondens Marescallus fratri Agnello dixit, ‘ Ad primum, quod dicunt, debeo, quia terram regis invasi, non est verum; quia rex ipse, cum semper paratus essem stare juri et judicio parium meorum in curia sua, et per plures internuntios pluries petii illud, quod ab ipso mihi semper existit denegatum, terram meam violenter ingressus contra omnem justitiam invasit. Cui sperans in humilitate placere, formam pacis cum eo mihi

A.D. 1233.
Proposals
made by the
king to the
marshal.

A.D. 1233.
Proposals
made by the
king to the
marshal.

plurimum damnosam gratis inii, in qua etiam convenit, quod, nisi illa ex parte regis mihi ¹observaretur, omnia omnino ex parte mea essent in statu, in quo fuerunt ante dictam pacem initam, videlicet, quod ego essem extra homagium suum et diffidatus ab eo, sicut prius fui per dominum episcopum Menevensem; unde, cum fere in omnibus articulis in forma pacis contentis deficeret, licuit mihi, juxta conventionem meam, quod meum erat recuperare et posse suum modis omnibus debilitare, maxime cum ad meam destructionem et exhæredationem et corporis captionem anhæleret; et hoc pro certo didici, et, si necesse est, probare possum. Et, quod magis est, post pacem per dies quindecim antequam Walliam intrarem aut ab aliquo me defenderem, sine judicio spoliavit me ab officio marescalciæ, quod jure hæreditario ad me pertinet et possedi, nec aliquo modo ad illud me restituere voluit requisitus; unde aperte didici, quod nullam pacem voluit mihi observare, cum post pacem deterius quam ante me pertractaret; unde homo suus non fui, sed ab ipsius homagio per ipsum absolutus, cum ad primam diffidationem redirem, juxta dictam conventionem, ut prædictum est. Quapropter licuit et licet me defendere, et malitiæ consiliatorum suorum modis omnibus obviare.' Item dicunt consilarii regis, utile fore Marescallo, ut se supponat misericordiæ ejus, quia rex ditior et potentior est; et, si Marescallus confidit in auxilio alienigenarum, rex ad unum, quem ille adducet, poterit adducere septem; quia offerunt se quidam consanguinei regis alienigenæ, qui non sunt Scoti vel Gallici aut Wallenses, qui venient in Angliam et suppeditabunt omnes inimicos ejus,

¹ *Observaretur.*] 'Observatur' in MS., but marked as an error.

qui venient in tanta multitudine, quod cooperient totam terram. Ad hæc dicit Marescallus, ‘Rex ditior me sit et potentior, verum est, sed non potentior est Deo, qui est ipsa justitia, in quem confido in conservatione et persecutione juris mei et regni; nec confido in alienigenis, nec ipsorum confœderationem appeto, nec auxilium invocabo, nisi, quod absit, inopinata et immutabili fuero necessitate compulsus. Et bene scio, quod rex potest septem contra unum adducere, quem ego adducere possum, et credo quod nimis cito tot adducet per consilium suum, quod non habet per quos ipse et regnum ipsius ab ipsis possit liberare; nam a viris fide dignis didici, quod Wintoniensis episcopus obligatus sit imperatori Romano, quod faciet totum Angliæ regnum ipsi subjugatum, et hoc a tempore quo cum ipso fuit in partibus transmarinis; et ideo guerram istam specialiter incepit, ut ex hoc sumpta occasione prius posse imperatoris, et postea ipsum imperatorem vocaret; et hoc probabile videtur, quia in discordia regis abscessit ab Anglia, et modo jurat, quod tot faciet venire in Angliam, quod cooperient totam terram.’ Item dicunt consilarii regis, tutum esse Marescallo, ut se supponat misericordiæ ejus, quia potest in regem confidere et consiliariis ejus; in regem, quia misericors et credibilis est; in consiliariis, quia nunquam Marescallo malum procuraverunt, imo diligunt eum in veritate. Ad hæc respondens Marescallus dicit, quod ‘bene potest esse quod rex misericors sit, sed seductus est consilio eorum per quos nos graviter læsos sentimus. Et quod rex sit credibilis ¹patet quantum in se ipso; sed, quantum ad consilium ejus pertinet, dico,

A.D. 1233.
Proposals
made by the
king to the
marshal.

¹ Patet quantum in se ipso.] ‘Potest esse, quantum in se ipso’ in C.

A. D. 1233.
Proposals
made by the
king to the
marshal.

quod nulla mihi promissio fuit hactenus observata. Quod dicitur de consiliariis, quod nunquam mihi malum procuraverunt, falsum est; quia mala mea universa procuraverunt, et omnia eis principaliter imputo. Nec in hoc, quod dicunt se me diligere, credere non debeo, nisi cum opera videro, quæ nondum vidi; nam plura sacramenta corporaliter præstita violaverunt, videlicet contra comitem Cantiaë, cui omnes tres plura sacramenta fecerunt, quæ omnino spreverunt et fregerunt, tam de forma provisa de prædicto comite, de qua similiter pejerverunt, quam de sacramento libertatum in magna charta contentarum, quas infregerunt, propter quæ excommunicati sunt et perjuri. Perjuri sunt de fideli consilio, quod juraverunt domino regi præstituros, cum in omnibus ei consilium contra justitiam impendant. Stephanus quoque de Segrave, qui juravit justas leges observare, et illas corrumpit et inusitatas introducit; et propter alia multa, pro quibus Deus aut homo non debet ei fidem aut suis complicibus adhibere, nonne tam ille quam illi excommunicati sunt? Item dicunt consilarii regis contra Marescallum, quod invasit corpus domini regis apud castellum de Grosmunt, antequam rex intrasset terram suam, et, si hoc fecit, injuriam regi fecit; unde debet se subicere misericordiæ ejus, ut prædictum est, ut faciat honorem domino regi, ne alii habeant exemplum insurgendi contra ipsum. Ad hæc respondit Marescallus pro persona sua, quod falsum est quod interfuit illi invasioni; et, forte aliqui de familia sua adfuerunt, familiam tantum regis invaserunt, et non corpus regis. ‘Quod tamen si fecissent, non esset mirum, cum rex veniret cum exercitu suo in terram meam, ut me inva-

deret et, modis omnibus quibus posset, gravaret; quod omnibus liquere potest per tenorem literarum suarum, quibus per Angliam generalem fecit convectionem in meum exitium. Et cum prædicta ab ipsis mihi imposita falsa sint, et verum est quod rex se pejus habuit contra me tempore, quo ipsius misericordiam exspectavi quam in alio aliquo tempore, et adhuc utitur eodem consilio quo etiam tunc, et cum præcise nitatur semper consiliis eorum in omnibus ¹utendum, de quorum consilio sentio omnia prædicta gravamina mihi et meis illata, ejus nos subijcere misericordiæ non debemus. Nec hoc esset honor regis, quod voluntati suæ consentirem, quæ non esset ratione subnixæ; imo facerem sibi injuriam et justitiæ, quam ipse in subditos exercere debet et conservare. Et malum exemplum darem omnibus, videlicet deserendi justitiam et juris persecutionem, propter voluntatem erroneam, contra omnem justitiam et injuriam subditorum; nam ex hoc appareret nos diligere plus possessiones nostras mundanas quam ipsam justitiam.' Item proponunt contra Marescallum consilarii regis, quod confœderatus est capitalibus inimicis ejus, videlicet Francigenis, Scotis et Wallensibus, et videtur eis hoc fecisse in odium et damnum domini regis et regni. Ad hoc dicit Marescallus, 'quod de Francigenis falsum est simpliciter. Quod dictum est de Scotis et Wallensibus similiter falsum est, præterquam de rege Scotiæ et Loelino principe Norwalliæ, qui non inimici, sed fideles ejus fuerunt, quousque per injurias ipsis a rege et ejus consiliariis illatas a fidelitate sua inviti et coacti, sicut et ego, alienati sunt; et propter hoc cum illis confœderatus sum, ut me-

¹ *Utendum.*] Inserted in C., but the line is marked for correction.

A.D. 1233.
Proposals
made by the
king to the
marshal.

A. D. 1233.
Proposals
made by the
king to the
marshal.

lius simul, quam separati, jura nostra perquiramus et defendamus, a quibus injuste privati sumus et in parte magna spoliati.' Item proponunt consiliarii regis, quod non debet Marescallus confidere de confœderatis suis, quia rex sine aliquo dispendio terræ suæ poterit confœderatos Marescalli ab amicitia sua cum voluerit separare. Ad hoc dicit Marescallus, 'quod super hoc non dubitat; sed ex hoc maxime apparet iniquitas consiliariorum suorum, quod aliquo modo facerent regem dispendium subire erga eos, quos specialiter vocant capitales inimicos, in meam injuriam, qui semper fui ejus fidelis, quousque per ipsum remaneret, et adhuc essem, si vellet mihi et meis amicis reddere jus nostrum.' Item dicunt consiliarii sæpe dicti, quod papa et ecclesia Romana specialiter diligunt regem et regnum, et excommunicabunt omnes ejus adversarios; et hoc videtur jam esse in januis, quia jam pro legato miserunt. 'Ad hoc, quod de papa et ecclesia Romana dicitur, placet mihi,' dicit Marescallus, 'quia, quanto plus regem et regnum diligunt, tanto plus desiderabunt, quod regnum suum et subditos suos secundum justitiam pertractet. Et placet mihi, quod adversarios regni excommunicet, quia illi sunt qui contra justitiam consilium regi impendunt, quos opera manifestant; quia justitia et pax osculatæ sunt, et propter hoc, ubi justitia corrumpitur, pax similiter violatur. Item de legato, placet quod veniat; quia, quanto plures justitiam nostram audierint, tanto vilius adversarii justitiæ confundentur. Et nunc, licet gravamina mea specialiter enumeraverim, idem dico de omnibus amicis meis et confœderatis; de quibus sicut de meipso conqueror, et sine quibus

nihil omnino facere possum, quod ad aliquam A.D. 1233.
stabilem conventionem pertineat.'

*Quod rex Anglorum fuit apud Gloverniam ad
Natale.*

Anno Domini MCCXXXIV., qui est annus regni A.D. 1234.
Henrici, regis Anglorum, decimus octavus, idem Henry keeps
Christmas at
Gloucester.
rex ad Natale tenuit curiam suam apud Glover-
niam cum parvo admodum comitatu, quia re-
cesserant ab eo magnates multi, qui spoliati
erant paulo ante a rebus omnibus apud Gros-
munt castellum, sicut superius habetur expres-
sum. Quo utique tempore cœpit terra gelu
graviter constringi, ita quod fruges suffocaban-
tur in agris, radices herbarum in hortis, et quasi
pedibus quatuor in humo infixas radices in po-
meriis desiccavit, quod usque ad purificationem
beatæ Mariæ absque nive se continuans agri-
culturam suspendit; secuta est autem eodem in
anno tanta aeris et elementorum intemperies,
quod sterilitatem rerum omnium de terra nas-
centium mortalibus ministravit.

Quod Marescallus multos ex hostibus peremit.

In crastino quidem diei Dominicæ nativitatis Successes
of the
marshal.
Johannes Monemutensis, vir nobilis, qui cum rege
militabat in Wallia, copiosum collegit exercitum,
ut furtivum faceret impetum in comitem Mares-
callum; sed, cum hoc Marescallo esset intima-
tum, misit se in quadam silva, per quam hostes
venturi erant, ut eos deluderet, qui illum deci-
pere cogitabant. Cum igitur adversarii memo-
rati ad locum insidiarum pervenissent, Mares-
callus et exercitus ejus totus strepitum horri-
bilem cum tubis emittentes et buccinis in hostes
irruunt venientes et non præmunitos omnes illi-

A.D. 1234.

co compulerunt in fugam, et fugientes insecuti interficiunt terga vertentes, ita quod, innumera ex eis multitudine perempta tam Pictavensium [quam aliorum], ipse Johannes vix per fugam evasit; et progrediens cum suis legionibus Marescallus villas ejus et ædificia, cum omnibus quæ ipsius erant, ferro devastavit et flamma, atque ex divite fecit pauperem et mendicum, et sic cum spoliis impretiabilibus et armentis in sua sese Marescallus recepit.

Quod exulati seditionem moverunt contra consiliarios regis.

Opposition
of Siward
and others
to the
government.

In ipsis præterea diebus Natalitiis bellum contra regem et suos consiliarios graviter accenditur, nam Richardus Siward, conjunctis sibi cæteris exulatis, ¹terras Richardi comitis et fratris regis, non longe a Brehulle sitas, cum ædificiis et frugibus ac bobus in stabulis stantibus, incendio concremarunt; Segrave, natale solum Stephani, Angliæ justiciarii, per idem tempus cum domibus valde sumptuosis, et bobus atque frugibus, combusserunt, equos pretiosos plures cum spoliis et rebus aliis inde recedentes abduxerunt; villam quoque quandam episcopi Wintoniensis, non longe ab eadem villa sitam, igne consumpserunt et spolia diripuerunt, cum cæteris rebus inventis. Hanc autem laudabilem constituebant regulam generalem inter se bellatores isti, quod nemini quicquam mali fecerunt vel aliquem læserunt, præter iniquos regis consi-

¹ *Terras Richardi.*] ‘Maneria et averia Ricardi comitis Cornubiæ et episcopi Wintoniensis et P. de Orivalle, et S. de Segrave, et R. Passelewe, et aliorum æmulorum suorum; qui pro excu-

satione sua asserebant, hæc merito se fecisse, quia per prædictorum consilia eorum tenementa prius fuerint dissipata;’ Chron. Dunst. p. 220.

liarios, per quos erant in exilium pulsi; et quæ sua fuerant igne cremata nemora, et pomeria radicatus exstirpata. A.D. 1234.

De equitatione facta apud Salopesberi.

Deinde, infra octavas Epiphaniæ, comes Marescallus et princeps Norwalliæ Loelinus, collectis omnibus viribus quas habere poterant, terras regis longe ingressi ferro et incendio destruxerunt, ita quod a finibus Walliæ usque ad Salopesberi nihil omnino reliquerunt intactum; villam quoque Salopesberi igne combusserunt et pretiosa inde reversi spolia reportarunt. Rex autem Anglorum inter hæc omnia, quæ fiebant ab hostibus suis, apud Gloverniam cum episcopo Wintoniensi morabatur imbellis, quia vires non habuit militares, quibus auderet hostibus obviare, unde nimio rubore confusus versus Wintoniam profectus est, regionem illam adversariis depopulandam relinquens, sicut intuentibus apparuit evidenter; nam miserabile viatoribus erat videre in provincia illa tot occisorum corpora, quorum non erat numerus, nuda per plateas et insepulta jacere, quæ bestiis esca fuere voracibus et volatilibus cæli rapacibus, ex quibus tantæ corruptionis fœtor aërem circumquaque infecerat, quod etiam homines sanos mortui peremerunt. Induratum quidem adeo erat cor regis contra Marescallum per iniquum, quo utebatur, consilium, quod episcopis illum admonentibus, ut pacem cum eo faceret, qui pro justitia decertabat, responderet, se nunquam in pacem convenire cum illo, nisi laqueum in collo gerens et se proditorem esse recognoscens ejus misericordiam imploraret.

Shrewsbury
burned by
the marshal
and Lle-
wellyn.

*De proditione quam contra Marescallum consilarii
regis egerunt.*

A.D. 1234.
Plan of the
government
for the
destruction
of the
marshal,

Circa dies istos Petrus, Wintoniensis episcopus, et filius ejus Petrus de Rivallis, et alii iniqui consilarii regis, cum se victos ubique cernerent a comite Marescallo, et villas suas igne crematas irremediabiliter dolerent, cogitabant proditione saltem, quem armis non poterant, superare; siquidem, qui præter alia incommoda a suo desiderio defraudati turbam Pictavensium innumeram [in] finibus Walliæ viderent interfec-tam, literas composuerunt proditionis inauditæ, et, cum earundem tenorem literarum rex penitus ignoraret, compulerunt eum sigillum suum apponere, cum quo et ipsi sua apponentes sigilla numero undecim, cruentum illud scriptum in Hiberniam transmiserunt. ¹Missa est autem hujus proditionis charta ad magnates Hiberniæ, Mauricium scilicet filium-Geroldi, qui vices justiciarii ibidem sub rege gerebat, ad Walterum et Hugonem de Lasceio, ad Richardum de Burgo, et Galfridum de Marisco, et ad alios homines ejusdem Marescalli juratos, sed infideles; quæ hanc iniquitatem, pro parte quæ sequitur, continebat. In primis significaverunt magnatibus prædictis consilarii memorati, quod Richardus, quondam regis Angliæ Marescallus, propter proditionem manifestam per judicium curiæ ejusdem regis proscriptus erat de regno Angliæ, et terris illius, villis ejus et ædificiis igne crematis, parcis et pomeriis succisis, stagnis cum piscariis destructis, et, quod his omnibus majus est, ab hæreditate paterna in perpetuum abjudicatus; et, cum a bonis omni-

¹ *Missa est . . . charta.*] Chron. Dunst. p. 219.

bus hoc ordine sit privatus, regem adhuc persequi A.D. 1234.
 non omittit, sed in incepta contra eum malitia
 perseverat. ‘Significamus ergo vobis, ut fidelibus
 domini regis et juratis, quatenus, si casu in Hi-
 berniam venerit, illum vel vivum vel mortuum
 comprehensum regi præsentare corporaliter stu-
 deatis; quod si facere curaveritis, totam hære-
 ditatem ejus et possessiones de terra Hiberniæ,
 quæ nunc in voluntate domini regis sunt, conce-
 det vobis inter vos dividendas et jure hæredita-
 rio possidendas. Super hac domini regis pro-
 missione fideliter vobis tenenda nos omnes, quo-
 rum consilio rex et regnum regitur, fidejussores
 constituimus, si rem prætaxatam perducere cu-
 raveritis ad effectum. Valet.’

*Quod proceres Hiberniæ consensum regis consiliariis
 præbuere.*

Cum igitur audissent Hiberniæ proceres me-
 morati tenorem literarum, concupiscentia subver-
 tit singulorum corda, et conspirantes ad invicem
 nuntios clam cum literis ad præfatos regis con-
 siliarios transmiserunt, significantes illis commu-
 niter sigillo secreti, quod, si promissio in literis
 contenta per chartam regis confirmaretur eisdem,
 ipsi rem prælocutam ad effectum perducere co-
 narentur. Tunc consilarii sæpe dicti per char-
 tam regis magnatibus illis omnia Marescalli jura
 Hiberniæ inter se dividenda concesserunt, sin-
 gulorum loca, possessiones et jura singulis ex-
 primentes. Cumque tandem hoc damnabile
 scriptum¹ ad proditores nequissimos in Hiberni-
 am pervenisset, confœderati sunt protinus, inter-
 posito juramento, quod visa opportunitate rem
 detestabilem perpetrarent; et conflantes in in-

agreed to by
 the Irish
 nobles.

¹ *Scriptum.*] Paris adds, ‘sigillo regio communitum.’

A.D. 1234. vicem, ut perimerent innocentem, congregaverunt exercitum copiosum, et terras comitis Marescalli hostiliter ingressi quædam castella ejus ceperunt, prædas et spolia inter se diviserunt.

Quod hæretici Albigenses in campestri prælio sunt perempti.

The Albigenses in Spain.

Hoc¹ quoque anno hæretici Albigenses in partibus Hispaniæ et illis regionibus ita invaluerunt, ut, ordinatis episcopis hæreticis, qui suam prædicarent abusionem, asserebant constanter fidem Christianam, et præcipue incarnationis mysterium, frivolum esse ac penitus abrogandum; et congregantes exercitum copiosum ingressi sunt hostiliter fines Christianorum, comburentes ecclesias et homines Christianos cujuscumque sexus vel ætatis immisericorditer trucidantes. Sed, hoc tandem divulgato, compressa est eorum superstitiosa præsumptio a fidelibus Christianis, qui ad mandatum Gregorii papæ ex diversis regionibus occidentis cruce signati advenerant ad defensionem fidei Christianæ. Perempti sunt autem ab eis in campestri prælio tempore vernali cum suis episcopis hæretici memorati, ita quod nec pes unus ex omnibus evasit; Christiani quoque civitates eorum occupantes repleverunt eas fidelibus Christianis, et, ordinatis in eis episcopis catholicis, reversi sunt victores in patriam suam, et, qui pauperes advenerant a partibus remotis, singuli divites recesserunt.

Consilium episcoporum regi datum pro perturbatione regni.

The bishops remonstrate with the king.

Dum hæc in Hispania agerentur, rex Anglorum venit ad colloquium apud Westmonasterium

¹ Hoc quoque anno.] Compare Raynaldi ad an. 1233, § 60; and 1234, § 14.

in purificatione sanctæ Mariæ, in quo quosdam episcopos, et maxime Alexandrum, Cestrensem episcopum, graviter increpavit de nimia familiaritate comitis Marescalli et quod ipsum a regni solio depellere nitebantur; episcopus autem ille pontificalibus indutus, cum talia sibi objecta cognovisset, excommunicavit omnes, qui contra regem iniquitatem hujusmodi cogitabant, et sic, intervenientibus episcopis qui aderant, cum rege pacificatus est. Aduit quidem huic colloquio magister Eadmundus, Cantuariensis electus, cum multis episcopis suffraganeis, qui omnes regis et regni desolationi condolentes venerunt ad regem et quasi uno corde, animo et ore dixerunt, ‘ Domine rex, dicimus vobis in Domino, ut fideles vestri, quia consilium, quod nunc habetis et quo utimini, non est sanum nec securum, sed crudele et periculosum vobis et regno Angliæ, Petri videlicet Wintoniensis episcopi et Petri de Rivallis. In primis, quia gentem Anglicanam odio habent, vocantes eos proditores et facientes omnes sic vocari, et avertentes animum vestrum a gente vestra et gentis vestræ a vobis, ut apparet in facto Marescalli, qui melior homo est terræ vestræ, et hæc per mala mendacia, quæ vobis dicunt de eis, omnia eorum dicta et facta pervertunt. Et per hoc idem consilium, scilicet per dictum episcopum, amisit pater vester rex Johannes primo corda gentis suæ, et post Normanniam et alias terras suas, et in fine totum thesaurum suum et fere dominium Angliæ, et nunquam postea pacem habuit. Per idem consilium turbatum fuit regnum et venit interdictum, et pater vester per tales angustias tandem mortem incurrit. Per idem consilium temporibus nostris contra vos detentum fuit castellum de Bedeford, propter quod Rupellam per-

A. D. 1234.
Remon-
strance of
the bishops.

A.D. 1234.
Remon-
strance of
the bishops.

didistis. Item, illa perturbatio, quæ nunc periculosa est in regno vestro, per eorum iniquum consilium accidit; quia, si per justitiam et rectum judicium terræ tractati fuissent homines vestri, non evenisset ista turbatio, et haberetis terras vestras non destructas et integrum thesaurum vestrum. Item, in fide dicimus, qua vobis tenemur, quia consilium vestrum non est pacis, sed perturbationis terræ; quia sic crescere volunt, qui per pacem non possunt, videlicet per regni perturbationem et aliorum exhæredationem. Item, quia castella vestra et fortitudinem terræ vestræ habent in manu sua, quasi de gente vestra diffidere debeatis. Item, quia scaccarium vestrum et omnes custodias et exchaetas maximas habent in potestate sua, et, quomodo vobis respondebunt, scietis postea. Item, quia per sigillum vestrum vel præceptum, sine sigillo Petri de Rivallis vel præcepto, vix aliquod magnum negotium fit in regno, unde constat quod vos non habent pro rege. Item, per idem consilium naturales homines de regno vestro de curia vestra expulsi sunt, unde timendum est tam de vobis quam de regno, cum videamini magis esse in eorum potestate, quam ipsi in vestra, sicut per plurima constat exempla. Item, quia puellam Britanniae et sororem vestram habent sub potestate sua, et alias plures puellas nobiles et mulieres, cum wardis ac maritagiis, quas dant suis et disparagant. Item, quia legem terræ, juratam et confirmatam atque per excommunicationem roboratam, pariter et justitiam confundunt et pervertunt; unde timendum est, ne sint excommunicati, et vos communicando eis. Item, quia non observant alicui promissionem, fidem, vel juramentum, vel scripturam, nec timent excommunicationem; unde qui a veritate reces-

serunt sunt desperati, et qui remanent, in timore. Hæc autem fideliter vobis dicimus, et coram Deo et hominibus consulimus, rogamus et monemus, ut tale consilium amoveatis a vobis, et, sicut est in aliis regnis consuetudo, regnum vestrum tractetis per fideles homines vestros et juratos de regno vestro; denuntiamus enim vobis in veritate, quod, nisi infra breve temporis spatium ista correxeris, in vos et in omnes alios contradictores per censuram ecclesiasticam procedemus, nihil exspectantes nisi consecrationem venerabilis patris nostri electi Cantuariensis.' Et, his ita dictis, rex humiliter breves postulavit inducias, dicens se non posse ita subito consilium suum amovere, donec de thesauro suo illis commisso ratiocinium audisset; et sic solutum est colloquium, recedentibus cunctis cum fiducia concordia celeriter obtinendæ.

A.D. 1234.
Remon-
strance of
the bishops.

Quod exulati ad vindictam proruperunt.

Finito siquidem colloquio prædicto, cum rex gratia orationis apud Bromholm festinaret, transitum fecit per sanctum Eadmundum, ubi pietate motus concessit uxori Huberti de Burgo octo maneria de terris acquisitis a viro suo, quæ tunc fuerunt sub custodia Roberti Passelewe ex mandato ipsius regis; ac deinde, expleto orationis voto, partes petiit occidentis. Et, cum venisset ad villam de Huntendona, ¹venit Richardus Siuard cum Gileberto Basset et cæteris exulatis ad Alcmundeberi, villam Stephani de Segrave, quæ vix duobus a rege distabat milliaribus, et, injecto igne in ædificiis dicti Stephani, omnia concremavit et spolia colligavit. Stephanus vero, qui cum rege erat, videns flammam ædificiorum suorum regio-

The king's
progress to
Bromholm.

¹ Venit Richardus Siuard.] *Annal. Waverl.* p. 192.

A.D. 1234. nemque totam illustrantes, cum manu armata non modica festinavit in auxilium rerum suarum; sed, cum a referentibus cognovisset Richardum Siuard hujus violentiæ fuisse auctorem, quasi telis obviantibus fræna retorsit et calcari- bus non parcens ad regem cum summa celeritate refugit, unde ipsum regem et alios qui aderant ad risum commovit. Per idem etiam tempus ipse Richardus et socii ejus, quosdam milites in finibus Walliæ sibi adversantes juxta legem guerræ ceperunt et ad gravem redemptionem compulerunt.

Eodem anno in ecclesia Christi Cantuariæ consecratus est Eadmundus, ejusdem ecclesiæ electus, a Rogero, Londinensi episcopo, in archiepiscopum Cantuariensem Dominica, qua cantatur 'Lætare Hierusalem,' quæ tunc fuit quarto nonas Aprilis, præsentem rege cum tredecim episcopis; et eodem die missam ¹ cum pallio solemniter celebravit.

Quod rex Anglorum episcopum Wintoniensem et Pictavenses a suo consilio removerit.

Fall of the
bishop of
Winchester.

Circa eosdem dies denique convenerunt ad colloquium Dominica prima in passione Domini, quæ tunc fuit quinto idus Aprilis, apud Westmonasterium, rex cum comitibus et baronibus, et archiepiscopus nuper consecratus cum suis suffraganeis, ut regno perturbato salubriter providerent. Archiepiscopus quidem, conjunctis sibi episcopis ac cæteris qui aderant prælatis, ad regem veniens ostendit ei consilium suum et episcoporum super desolatione regni et periculo imminente, replicando suprascripta incommoda in colloquio superius habito sibi expressa. De-

¹ *Cum pallio.*] Paris adds, | Simon de Legro, ejus ecclesiæ
' quod caute ei de curia Romana | monachus, detulerat.'

nuntiavit etiam ¹ ipsi regi audacter, quod, nisi A.D. 1234. celerius errorem dimitteret et cum fidelibus regni sui pacifice componeret, ipse incontinenti, cum omnibus qui aderant prælatis, in ipsum regem sententiam ferret excommunicationis et in omnes alios hujus pacis contradictores et concordiae perversores. Rex autem pius consilium audiens prælatorum humiliter respondit, quod consiliis eorum in omnibus adclinaret; unde post dies paucos, intelligens proprium errorem, pœnitentia ductus præcepit Petro, Wintoniensi episcopo, ut pergens ad episcopatum suum curis intenderet animarum et de cætero regiis negotiis nequaquam interesset. Petro etiam de Rivallis immutabiliter jussit, cujus Anglia tota dispositionibus subiacebat, ut, redditis sibi castellis suis et ratiocinio de thesauris, incontinenti a curia recederet, affirmans cum juramento, quod, nisi beneficiatus et in sortem clericorum fuisset admissus, ipse ei ambos oculos eruere faceret. Pictavenses insuper omnes, tam de curia sua, quam de castrorum præsiidiis, expellens remisit in patriam suam, præcipientes ut ultra faciem ejus non viderent. Ac deinde rex, qui modis omnibus pacem sitiebat, misit Eadmundum, Cantuariensem archiepiscopum, cum episcopis Cestrensi et Roffensi in Walliam ad Loelinum et Richardum comitem Marescallum, ut cum eis de pace tractarent. Et sic rex, dimissis iniquis consiliariis suis, revocavit ad obsequium suum naturales homines de regno suo, subjiciens se consilio archiepiscopi et episcoporum, per quos sperabat regnum perturbatum ad statum debitum revocare.

¹ *Ipsi,*] wanting in C.

*Quod comes Marescallus in Hiberniam veniens
guerram contra regem moverit.*

A.D. 1234.
The marshal
carries on
the war in
Ireland.

Hoc quoque tempore venerunt nuntii ad Richardum comitem Marescallum referentes quomodo sæpediti magnates Hiberniæ terram ejus hostiliter ingressi quædam ipsius castella ceperant et eam pervagantes rapinis et spoliis indulgebant. Marescallus autem, cum rex Anglorum post dies Natalitios expeditiones bellicas in Walliis ¹dimisisset et australes Angliæ partes petisset, circa purificationem beatæ Mariæ cum quindecim tantum militibus in Hiberniam transfretavit, ut hostium suorum malitiam refrænaret; qui cum ibidem applicuisset, venit ad eum Gaufridus de Marisco, homo ejus ligius, sed infidelis, qui Mauricio justiciario, Hugoni de Lasceio et Richardo de Burgo, ac cæteris inimicis ipsius Marescalli confœderatus erat, et adhærebat ei in dolo, consulens, ut contra hostes prædictos arma moveret et Hiberniam subjugaret. Marescallus vero per terram suam profectus congregavit exercitum copiosum, et hostes suos insecutus castella, quæ ceperant, pro parte revocavit; Lemic quoque, famosam Hiberniæ civitatem, quatríduana obsidione cepit et ex civibus exegit fidelitatem; deinde hostiliter progrediens cepit tam regis castella quam aliorum inimicorum suorum, accipiens a custodibus juramentum, ne ejus propositum impedirent. Magnates autem prædicti illi occurrere non audentes fugerunt a facie ejus ad loca remotiora, ubi milites et equites bellatores cum turba peditum armatorum innumera congregantes ad campestre sese præli-

¹*Dimisisset.*] ‘Dimissis’ in MS., | it had been intended to write and the ‘et’ wanting, as though | ‘expeditionibus bellicis.’

um præparabant ; hos omnes, datis regiis the- A.D. 1234.
sauris cum magnis promissionibus, ita in necem
Marescalli animaverant, ut, eo perempto, se di-
vites fieri æstimarent. Quo facto, miserunt ad
Marescallum viros Templarios, mandantes quod
proditiose nimis agebat contra dominum suum
regem Angliæ, quem sicut in Anglia ita jam in
Hibernia impugnabat ; addiderunt etiam, quod
ipsi, sub quorum custodia rex terram Hiberniæ
commiserat et cujus homines erant fideles et ju-
rati, non poterant sine proditionis nota hanc in-
juriam sustinere ; postulaverunt ergo inducias
competentes, ut interim scirent a rege Anglorum
si velit Hiberniam defendere, quam si tueri con-
temneret et eam relinquendo deserere decerneret,
ipsi terram totam ei sine lite et effusione sangui-
nis resignarent.

*Quod justum bellum idem comes contra regem
susceperit.*

His igitur ita dictis, ad singula sibi proposita The marshal
defends his
conduct.
comes Marescallus respondit ; ‘ In primis re-
spondeo, quod proditiose non egi contra regem ;
quia sine judicio parium meorum et injuste ab
officio marescalciæ me spoliavit, exulem per
totam Angliam denuntiari fecit, ædificia mea
igne cremavit et terras meas destruxit. Se-
mel et iterum me diffidavit, cum semper paratus
essem in curia sua juri parere et stare judicio
parium meorum ; unde homo suus non fui, sed
ab ipsius homagio, non per me sed per ipsum,
absolutus.’ De cæteris autem sibi objectis et
de induciis concedendis significavit magnatibus
prædictis per eosdem Templarios, ut in crastino
venirent ad colloquium in quodam prato sibi de-
signato de pace tractaturi, immutabiliter affir-
mans, quod licuit sibi de jure quod suum erat

A.D. 1234. repetere, et posse regis et consiliatorum ejus modis omnibus quibus poterat infirmare.

De iniquo consilio Gaufridi de Marisco.

Treacherous
counsel of
Geoffrey de
Marsh.

Cumque verba comitis Marescalli magnatibus sæpe dictis a Templariis fuissent declarata, placuit eis vehementer ad colloquium venire, scientes se majores habere vires et armatorum copias quam Marescallus haberet; habuerunt enim in proposito, quod sine campestri prælio ad propria non redirent. Marescallus vero a militibus super dicto negotio consilium quærens dixit, 'Sufficere mihi debet, ut concedam proceribus istis inducias postulas, quia justum mihi videtur et rationi subnixum quod petunt; unde timeo, si eis æquitatem facere negavero, ne deterius mihi contingat.' Hoc cum audisset Gaufridus de Marisco, qui ei dolose adhærebat et conscius erat provisæ proditiōis ac socius, prorupit in vocem blasphemiae adversus eum; quasi ex caritate loquens dixit ipsum non fuisse filium Wilhelmi magni Marescalli, qui consilio et prudentia, strenuitate pariter et audacia, omnes occidentalis imperii milites superabat. 'Et tu modo timidus effectus regnum Hiberniæ, quod nunc subjugare vales, per ignaviam obtinere contemnis; induciæ siquidem, quas petunt inimici tui, frustratoriæ sunt, ut sic impediānt progressum tuum. Noveris autem certissime, quod hostes tui omnes, cum te viderint armatum et ad pugnam licet cum paucis præparatum, terga vertentes per fugam evadere conabuntur.' Erant præterea ibidem et alii milites quater viginti vel plures, qui de Marescallo in Hibernia terras tenebant, ab hostibus ejus corrupti, qui ei consulerunt idipsum, proditiose illum decipere cupientes.

*De colloquio habito inter proceres Hiberniæ et
comitem Marescallum.*

Mane autem facto, venerunt ad colloquium in prato sibi designato Mauricius justiciarius, Hugo de Laceio et Richardus de Burgo, cum militibus septies viginti fortissimis et audacissimis, quos a tempore proditiōnis inchoatæ elegerant ex toto Hiberniæ regno, ut perimerent Marescallum, et ad hoc conduxerant magnis muneribus et promissionibus, qui campestre prælium magis quam concordiam sitiebant. Marescallus vero cum suis armatis, qui omnes sibi fecte adhærebant, præter quindecim milites, quos de propria familia habebat, ad colloquium veniens per unum fere milliare ab hostibus divisus suam composuit stationem. Deinde, Templariis mediantibus, qui inter utrumque exercitum verba conferebant, de pace tractare cœperunt. Sed tandem magnates Hiberniæ, ut breviter dicatur, cum cognovissent quod Marescallus cum paucis advenerat, significaverunt ei immutabiliter et præcise, quod, nisi prædictas concederet inducias, diffidabant eum, ut continuo gladiis discurrentibus experirentur, quis ex illis in prælio fortior haberetur. Comes vero Marescallus, per consilium Galfridi de Marisco et aliorum hominum suorum, sed infidelium, invitus et coactus plane negavit eis treugas postulas, petens constanter per internuntios memoratos, ut redderent sibi quædam castella sua, quæ injuste occupaverant et detinebant, quia injustum ei videbatur inducias concedere spoliatus; cumque illi id facere denegassent, dispositis aciebus ad pugnam contra Marescallum procedunt, quasi securi de victoria obtinenda. Quod videns Gaufridus de Marisco dixit ad Marescallum, ‘ Consilium do tibi in

A. D. 1234.
The marshal's conference with the Irish nobles.

A.D. 1234.

fide, ut concedatis magnatibus istis inducias petitas; uxor enim mea soror est nobilis viri Hugonis de Lasceio, unde non possum in prælium contra ipsum tecum ire, cum quo consisto confœderatus.' Ad quem Marescallus, 'O,' inquit, 'proditor nequissime, nonne modo denegavi eis inducias, contra voluntatem meam, per consilium tuum? Inconstantis hominis esset tam cito concedere, quod modo eis negavi, quia id magis timore¹ facere viderer, quam amore. Scio enim, quod hodierno die morti traditus sum; sed melius est mihi mori cum honore pro causa justitiæ, quam campum per fugam deserere et probra militiæ in perpetuum obtinere.' Et respiciens Walterum fratrem suum, juvenem elegantissimum, dixit quibusdam ministris suis, 'Adducite fratrem meum,' inquit, 'ad castellum meum, quod prope est, nec in hoc certamine preat omne genus meum; quia in ejus probitate confido, si annos exspectaverit legitimos strenue militiam exercendi.' Proceres autem Hiberniæ, audaciam Marescalli ac probitatem metuentes, arma sua militibus fortissimis tradiderant et ignotis, quos ad hoc conduxerant, ut perimerent innocentem; sic eum occidere cupientes, ut non occidisse viderentur.

*De prælio campestri in quo captus fuit comes
Marescallus.*

The marshal
taken in
battle.

Comes vero Marescallus hostes multos aciebus dispositis contra paucos venire considerans hortatur suos ad pugnam, quam pro causa justitiæ et legibus Anglicanæ gentis et oppressione Pictavensium assumpserat, sperans habere fideles, quos habuit proditores. In medium hostium audacter prorupit, et, aciebus eorum potenter penetratis, militibus suis viam ferro aperuit,

¹ *Timore.*] 'Timore hoc' in MS.

quem solummodo quindecim milites de propria familia sequentes obstantium cohortes acierum dissipare cœperunt. Sed homines ejus jurati et milites, in quibus confidebat, sicut prius inter proditores erat provisum, hostibus sese Marescalli non coacti, non hastis percussi vel gladiis, ad vincula reddiderunt, quasi amici ad invicem congaudentes; quidam autem illorum absque sanguinis effusione ad ecclesias et abbatias fugientes Marescallum ¹cum quindecim tantum militibus reliquerunt. Quibus inæqualiter nimis contra septies viginti pugnantis et sese viriliter defendentibus, pondus prælii versum est in comitem Marescallum, qui tunc primo de prodicione in necem suam machinata advertit; et, sic undique adversariis impetum facientibus in eum, sex milites ex eis sese defendendo peremit. Indignatus autem, hoc viso, miles quidam ut gigas fortissimus, cui Richardus de Burgo arma sua tradiderat, ut Marescallum occideret, impetum fecit in eum, volens galeam de capite ejus evelere truculenter; quem videns Marescallus existimabat quod esset Richardus de Burgo, et ait, 'Fuge, proditor nequissime, ne te interficiam.' Cui ille, 'Non a te fugiam,' inquit, 'sed propius accedam;' et cum manus levasset, ut ipsum per cassidem arriperet, Marescallus interjecto gladio ambas manus ejus armatas uno ictu præcidit. Alius autem miles socium læsum vindicare cupiens rapido equi cursu ad eum venit, et omnibus utens viribus in capite galeato percussit, sed, obstantibus armis Marescalli, nihil profecit; at comes se ferientem cum gladio percutiens corpus

A. D. 1234.
The marshal taken
prisoner.

¹ *Cum quindecim tantum militibus.*] 'Licet se solum et omni fideli consortio destitutum non ignoraret, campestri prælio se

contra inimicos et etiam innumerabiles exponere non formidavit;' Annal. Waverl. p. 195.

A.D. 1234.
The marshal taken
prisoner.

ejus totum usque ad umbilicum in duas partes divisit, unde post in multo diei spatio nullus ad eum accedere ausus fuit. Sed hostes ejus principales animo consternati compulerunt vulgi multitudinem, qui cum lanceis, furcis ferreis, securibus advenerant et bipennibus, ut illum circumdantes opprimerent et equum ejus eviscerantes ad terram prosternerent; qui protinus Marescallum circumvallantes equum ejus multis vulneribus confossum exsanguem fecerunt, et, cum sic eum ex equo dejicere non potuissent, pedes ipsius equi cum securibus præciderunt; cumque equus cum Marescallo, jam in certamine ab hora diei prima usque ad horam undecimam fatigato, corruisset in terram, ¹ ipsi accurrentes percusserunt eum in posteriora loricam levantes et lethaliter vulneraverunt. Magnates autem cognoscentes quod vulneratus fuisset ad mortem, qui quasi exanimis jacebat in terra, duxerunt illum, vix palpitante in eo spiritu vitali, ad castellum suum, quod Mauricius justiciarius paulo ante ceperat et captum detinebat, ubi sub arcta servatus custodia cum uno tantum juvene de suis inter hostes remansit. Actum est autem hoc prælium primo die mensis Aprilis, in sabbato.

De morte et sepultura comitis Marescalli.

Death of the
marshal.

Et, his ita gestis, post triduum ita convaluit comes Marescallus, quod manducare potuit et bibere, ad aleas ludere, et huc atque illuc ire in thalamo ubi infirmatus jacebat; quod videntes inimici ejus petierunt ex parte regis Angliæ, ut redderet

¹ *Ipsi accurrentes.*] ‘Quidam maligno spiritu agitato eum a posteriori parte latenter aggressus, eidem ex improvise in inferiore corporis regione, quo nudum et inerme recognovit, lethale vulnus infixit;’ *Annal. Waverl.* p. 195.

omnia castella sua et terras Hiberniæ, cujus corpus in voluntate ejus erat ac potestate, quacumque voluerit morte etiam turpissima puniendum, ut qui per judicium curiæ suæ primo exulatus ac postea diffidatus, et nunc in campestri prælio contra eum commisso captus; ‘Utile tibi erit ut hæc facias sine contradictione et ab eo misericordiam consequaris.’ Ostenderunt præterea illi literas regis patentes, in quibus eis præceptum erat, quod, si casu veniret in Hiberniam, ipsi illum caperent et vivum sibi aut mortuum præsentarent. Marescallus autem videns quia in potestate erat inimicorum suorum præcepit continuo per literas suas, ut omnia castella sua regi redderentur, nesciens quod concessa erant magnatibus illis per cartam regis inter se dividenda et jure hæreditario possidenda. Cœperunt deinde vulnera ejus dolere graviter et tumere, unde præ nimio cruciatu auxilium medici postulavit. Tunc Mauricius justiciarius, sub cujus custodia erat, medicum vocavit, magis, ut dicitur, in exitium quam auxilium; sed Marescallus, ut fidelissimus Christianus, ante omnem medicinam carnalem, in confessione et viatico ac legitimo testamento exitum suum munivit et suæ mortis causam Domino commendavit. Medicus autem ad eum accedens cum ferro longo et ignito vulnera ejus aperuit, et tam sæpe et profunde ferrum demersit, quod ex vulneribus sanguinem elicuit. Marescallus vero pro nimia doloris angustia in febrem acutam decidens ¹sexto decimo die postquam in prælio vulneratus fuerat in Domino obdormivit decimo sexto kalendas Maii; in cras-

A.D. 1234.
Death of
the marshal.

¹*Sexto decimo die.*] ‘Per quindecim dies sequentes languens et pœnitentiam agens diem clausit extremum. Super cujus morte | rex certioratus diu gemuit, sicut rex David super morte Saulis et Jonathæ;’ Chron. Dunst. p. 219. ‘In castellum deputaverunt, ubi

A.D. 1234.

tino autem sepultus est apud Kilkenni in oratorio fratrum de ordine Minorum, ubi ipse adhuc vivus elegerat sepulturam. Occubuit siquidem ob causam supra scriptam comes Marescallus, miles egregius, in literali scientia sufficienter eruditus, moribus decenter et virtutibus ornatus, in die Palmarum, ut palmam a Domino acciperet in cælestibus pro mercede, qui inter filios hominum adeo enituit forma speciosus, ut in compositione corporis ipsius visa sit natura cum virtutibus contendisse.

De ultione exulorum contra consiliatores regis.

Destruction
of the mi-
nisters'
property.

Hæc autem, quæ facta erant de comite Marescallo in Hibernia, nondum nota fuerunt in Anglia, unde Richardus Siuard cum cæteris exulatis de consiliatoribus regis, per quos exterminati fuerant, ultionem quærentes feria quarta in hebdomada Paschæ combusserunt ædificia Roberti Passelewe in Suaneburne cum frugibus et animalibus et aliis rebus inventis, quæ ei damnosa fuerunt; et post dies paucos combusserunt horrea ejusdem Roberti cum frugibus et rebus aliis prope villam de Stanes sexto kalendas Maii. Item, sexto nonas Maii inter Radingum et Wallingford in quadam silva ceperunt sex summarios Stephani de Segrave oneratos, cum equo quodam pretioso, et omnia quæ domini regis erant dimiserunt in pace; Ivingeho quoque villam Petri, Wintoniensis episcopi, cum domibus et rebus cunctis episcopo damnosis concremarunt quarto idus Maii. Et eodem tempore procures Hibernenses castella Marescalli et jura Hiberniæ oc-

curis medicinalibus plagis adhibitis, quindecim diebus, quos ei Deus ad poenitentiam providerit, expletis, in cordis contritione, veraque confessione, sacro-

sancta Dominici corporis et sanguinis . . . communionem, debitum humanæ naturæ persolvit;’ *Annal. Waverl.* p. 196.

cupantes inter se diviserunt, sicut eis per car- A.D. 1234.
tam regis fuerant confirmata, possessionibus in-
cumbentes.

Quod omnes exulati ad pacem regis venerunt.

Per idem etiam tempus, post Paschalem solen- The opposi-
nitatem, cum rex Anglorum versus Gloverniam tion received
tenderet cupiens obviare archiepiscopo et epi- into favour.
scopis, quos in Walliam miserat, ut supradictum
est, venit apud Wodestoke manerium suum, ut
pernoctaret ibidem. Venerunt autem ibi ad eum
nuntii ex Hibernia, casum ei referentes de mor-
te comitis Marescalli; unde rex, admirantibus
cunctis qui aderant, in fletum prorumpens con-
questus est de morte tanti militis, asserens con-
stanter, quod nullum sibi parem in regno moriens
reliquisset; et continuo vocatis presbyteris de ca-
pella sua, fecit solenniter decantari obsequium
defunctorum pro anima ipsius, et in crastino,
completis missarum solenniis, largas pauperibus
eleemosynas erogabat. Beatus ergo rex talis, qui
novit inimicos diligere, et cum lachrymis ¹ potest
pro suis persecutoribus Dominum exorare. Cum-
que rex inde profectus ad Gloverniam pervenis-
set, venit ad eum ibi Eadmundus, Cantuariensis
archiepiscopus, cum episcopis, qui cum ipso ad
Loelinum fuerant destinati, denuntiantes ei, quod
cum Loelino de ² quadam forma pacis tractave-
rant, ita tamen, quod ante omnia regi reconcilia-
rentur viri nobiles de regno, quibus confœdera-
tus erat idem Loelinus, qui per pravum consili-
um fuerant ab Anglia exulati; quo rite peracto,
præfata concordia plenius firmaretur. Tunc rex,

¹ *Potest.*] 'Potest' is marked for correction, probably to be ex-
punged.

terms of the treaty, to continue for two years from the feast of S. James (25 July), are printed in Rymer, i. p. 213, dated Westminster, June 30.

² *Quadam forma pacis.*] The

A.D. 1234.

qui ut pax fieret modis omnibus suspirabat, fecit convocare per literas suas exulatos omnes, ut venirent apud Gloverniam Dominica proxima ante ascensionem Domini, quarto scilicet kalendas Junii, ad colloquium, recepturi plenam gratiam ipsius cum hæreditatibus suis; et hoc facerent omni suspicione remota, sub salvo archiepiscopi et episcoporum ¹conductu. Venerunt ergo ²ad pacem regis, mediantibus archiepiscopo et episcopis, Hubertus de Burgo, Angliæ quondam ³justiciarius, Gilbertus Basset et fratres ejus, Richardus Siuard, cum omnibus qui cum eis et pro eis in exilium fuerant pulsati, quos rex in osculo pacis recipiens reddidit eis omnia jura sua, quinto kalendas Junii. Et in eodem colloquio venit ad regem Gilebertus, frater Richardi comitis Marescalli, protestans mortem fratris sui, et postulavit ab eo, ut ipsum in hæreditate sua reciperet, offerens homagium suum regi et quicquid ei ut domino facere tenebatur. Tunc rex, cum consilio archiepiscopi, reddidit ei hæreditatem suam totam tam in Anglia quam in Hibernia, et homagium ejus recepit; atque post hæc, in die Pentecostes, apud Wigorniam eundem Gilebertum cingulo militari donavit, tradens ei virgam marescalciæ curiæ suæ, sicut eam antecessores melius et liberius habuerunt. Hu-

¹ *Conductu.*] At this point the Cotton. MS. of Matt. Paris, collated by Wats, has 'Dominus Rogerus de Wendovre, prior aliquando de Beluvoir, huc usque chronica sua hæc digessit.' The Wendover MS. however, collated by that editor, continues to the same period with our own.

² *Ad pacem regis.*] The king's letters to Llewellyn, informing him that, through the mediation of the archbishop of Canterbury, he had

become reconciled to his disaffected nobles and restored them their property, at the same time urging him to confer with the archbishop and bishops respecting peace, are in Rymer, i. p. 212.

³ *Justiciarius.*] Paris inserts a more lengthened account of the king's meeting with Hubert de Burgh, with the details of a vision of a crucifix that had formerly appeared to him.

bertum quoque de Burgo, Gilebertum Basset et Richardum Siuard inter domesticos et familiares consiliarios admisit, tunc plene intelligens, quod priorum fuerat consiliatorum astutia seductus, qui se modo cauteriatam habentes conscientiam a regis præsentia subtrahebant. A.D. 1234.

Quod rex ratiocinium exegit a Petro de Rivallis et Stephano de Segrave et Roberto Passelewe.

In eodem autem colloquio Eadmundus, Cantuariensis archiepiscopus, fecit recitari exemplar literarum de prodicione Richardi comitis Marescalli coram rege et universo conventu episcoporum, comitum pariter ac baronum, qui adfuerunt, quæ a consiliariis regis missæ fuerant ad magnates Hiberniæ; unde rex ipse et alii omnes, qui eas audiebant, contristati sunt valde et usque ad lachrymarum effusionem compuncti. Rex autem confessus est in veritate, quod compulsus ab episcopo Wintoniensi et Petro de Rivallis et aliis consiliariis suis jusserat sigillum suum apponi in quibusdam literis sibi præsentatis, sed tenorem illarum se nunquam audisse cum juramento affirmavit. Ad hoc respondens archiepiscopus dixit, ‘Scrutamini, rex, conscientiam vestram, quia omnes illi, qui literas illas mitti procuraverunt et hujus prodicionis conscii fuerunt, rei sunt de morte Marescalli, ac si illum propriis manibus occidissent.’ Tunc rex, habito consilio, fecit vocare per literas episcopum Wintoniensem, Petrum de Rivallis, ¹Stephanum de Segrave et Robertum Passelewe, ut venirent ad festum sancti Johannis ratiocinium

Peter de Rivaulx, Stephen de Segrave, and Robert Passelewe called to account.

¹ *Stephanum de Segrave.*] See Alkmundbury, Huntingdonshire, in the Archæologia, xv. p. 209, granted to Stephen de Segrave a copy of an original charter of only on the 2nd March previous exemption from forest laws in to this summons.

A.D. 1234.

redditori de thesauris suis receptis pariter et expensis, sed et de sigillo suo, quod male tractaverant, ipso penitus ignorante, mandavit, ut tunc venirent responsuri et juri parituri; sed illi, proprias conscientias habentes suspectas in omnibus, ex una parte regem, ex altera vero fratres et amicos metuebant Marescalli, cujus necem procuraverant. Unde ad pacem ecclesiæ confugientes episcopus et Petrus de Rivallis in ecclesia cathedrali apud Wintoniam latitabant, a conspectu hominum sese penitus subtrahentes; Stephanus vero de Segrave in ecclesia sanctæ Mariæ apud Legecestriam delituit, et, qui prius a clericatu ad militiam confugit, nunc e contrario ad clericatus officium reversus coronam, quam reliquerat inconsulto episcopo, renovavit; Robertus quoque Passelewe ad latibulum divertit ignotum, ita quod illum Romam petiisse multi contendebant; nec etiam ad mandatum regis limina ecclesiæ ausi sunt egredi, inde argumentum suspicionis trahentes, quod inimici eorum, qui villas suas et ædificia cum horreis frugibus plenis et cætera quæque sibi damnosa concremaverant, non parcerent corporibus suis, si nocendi opportunitatem haberent.

Quod rex exegit ratiocinium a Petro de Rivallis.

Peter de Rivaulx appears before the King.

Tandem Eadmundus, Cantuariensis archiepiscopus, qui pacis mediator erat hujus dissidii, impetravit a rege, ut sub salvo conductu ipsius et episcoporum possent ad diem certum coram illo venire responsuri super exactionibus prædictis, ut omnis in regno dissensionis occasio sopiretur. Statuit igitur illis diem rex pridie idus Julii apud Westmonasterium, ut breviter dicatur, ubi sub protectione archiepiscopi et episcoporum ad regis præsentiam sunt perducti;

inter quos Petrus de Rivallis primus in causam A.D. 1234. vocatus apparuit coram rege in habitu clericali cum tonsura et lata corona, quem reverenter salutavit, cum justiciariis in banco sedentem. Quem rex torvo respiciens oculo, ‘O proditor,’ inquit, ‘per iniquum consilium tuum sigillum meum ignorans apposui in literis de prodicione comitis Marescalli; per vestrum etiam pravum consilium ipsum et alios de regno meo homines naturales exulavi et eorum animos a me pariter et amorem averti; per pravum consilium vestrum guerram contra illos movi, per quam thesaurum meum et hominum meorum divitias consumpsi.’ Exegit ab eo præterea rex ratiocinium de thesauro suo et custodiis puerorum nobilium et eschaetarum, cum aliis proventibus multis, quæ ad coronam spectabant. Cumque hæc et alia multa rex ab eo sub prodicionis nomine exegisset, nihil omnino de objectis sibi criminibus negavit, sed coram rege in terram corruens per hæc verba ejus misericordiam imploravit; ‘Domine rex,’ inquit, ‘nutritus sum a vobis et in bonis temporalibus dives factus, ne confundas hominem quem creasti; sed concede saltem tempus deliberandi, ut de rebus exactis competenter vobis valeam reddere rationem.’ Cui rex, ‘Mittam te in turrim Londoniarum, ut ibi deliberes, donec mihi satisfacias competenter.’ Ad hæc Petrus, ‘Domine, clericus sum,’ inquit, ‘nec debeo incarcerari vel sub laicorum custodia deputari.’ Respondit rex, ‘Ecce præsens est archiepiscopus, qui si pro te fidejubere voluerit, tradam te illi, ut mihi satisfaciat de exactionibus supradictis.’ Ut igitur breviter dicatur, misit eum rex in turri memorata, accipiens in manu sua omnes laicas possessiones ejus, quia sub habitu clericali lorica erat armatus, quod cleri-

A.D. 1234. cum non decebat. Fuit autem in turri Londoniarum die Jovis et sequenti die Veneris, et tunc ab archiepiscopo liberatus apud Wintoniam perductus est et in ecclesia cathedrali dimissus.

Quod Stephanus de Segrave apparuit coram rege.

Stephen de Segrave answers before the king.

Apparuit autem eodem die in regis præsentia Stephanus de Segrave, veniens sub protectione archiepiscopi, de rebus sibi impositis respondurus; qui cum staret in judicio juri pariturus, increpavit eum rex sub nomine nequissimi proditoris de omnibus articulis, quibus increpaverat Petrum de Rivallis, hoc etiam adjiciens, quod consilium dederat ei, ut Hubertum de Burgo ab officio justiciarii amoveret, incarcerationet, patibulo suspenderet, et nobiles de regno homines exularet. Cumque hæc et alia multa ei imposuisset flagitia, exegit ab eo ratiocinium ab officio justiciarii, quod sub eo administraverat post Hubertum de Burgo, de rebus perceptis pariter et expensis. Super his autem archiepiscopus et quidam episcopi impetrarunt inducias a rege usque ad festum sancti Michaelis, ut deliberandi tempus haberet. De pravis quoque consiliis sibi imputatis hoc regi respondit, quod, cum plures haberet consiliarios, quod male gestum fuerat sibi soli non debuit imputari. Robertus vero Passelewe, qui post Waltherum Karleolensem ¹officium thesaurarii administraverat, abscondit se nec repertus fuit a quærentibus animam ejus.

¹ *Officium thesaurarii.*] Hugh de Pateshulle, was appointed to de Pateshulle, clerk, son of Simeon | succeed him in the office; Paris.

Quod comes Britannia a rege Anglorum recessit.

Eodem anno, instante nativitate sancti Jo-
hannis Baptistæ, quo tempore erant exspirandæ
treugæ in Britannia inter reges Francorum et
Anglorum, rex Anglorum ¹misit comiti Britan-
niæ milites sexaginta et Wallenses duo millia,
qui terræ illius infirmiora communirent. Rex
autem Francorum, treugis evolutis, congregavit
exercitum copiosum ex omnibus viribus suis, et
quoddam castellum comitis Britannia obsidione
vallavit. Milites quidem regis Anglorum et Wal-
lenses venientibus Francigenis occurrentes equos
quorundam hostium suorum peremerunt, ex equi-
tibus pedites multos fecerunt, bigas et vehicula,
quibus victualia deferebantur et arma, invaden-
tes ceperunt, equos et spolia rapuerunt, et damna
eis non modica inferentes absque sui læsione ad
propria sunt reversi. At rex Francorum, ex
damno sibi illato perturbatus, divisis agminibus,
undique Britanniam invasit et Britannos gravi
afflictione contrivit. Comes autem in arcto po-
situs treugas usque ad festum Omnium sancto-
rum sub tali forma postulans impetravit, ut sci-
ret interim si rex Anglorum, cui confœderatus
erat, corporaliter vellet in ejus succursum ve-
nire; pro his siquidem treugis obtinendis sub
tali forma tradidit régi Francorum tria castella
optima, quod, si rex Anglorum infra terminum
memoratum ad liberationem terræ suæ non veni-
ret corporaliter, ipse tunc regi Francorum terram
Britannia totam cum castellis et urbibus ex in-
tegro resignaret. Treugis autem in hunc modum
confirmatis, comes Britannia milites regis An-

A.D. 1234.
War in
Britanny.

¹ *Misit comiti Britannia.*] In | niæ ferendo,' dated the 20th of
Rymer, i. p. 211, *seq.* are two | April and 15th of May.
writs, 'de auxilio comiti Britan-

A.D. 1234.
War in
Britanny.

gliaë et Wallenses remisit in Angliam, a quibus rex præmunitus est, ne ultra thesauros regni effunderet pro defensione comitis Britanniaë, quia jam fœdus iniit cum rege Francorum, ut, difugio a rege Anglorum facto, ad ejus pacem veniret, nihil exspectans nisi ut thesauros Angliaë exhausisset. Ipse siquidem comes, parvo post emenso temporis spatio, in Angliam veniens regi suggessit, quod pro treugis a rege Francorum obtinendis quicquid in auro habuit vel argento effuderat, petens sibi restitutionem fieri quindecim millium marcarum, quas consumpserat pro defensione terræ suæ et Anglorum regis honore. Ad hæc respondens rex dixit, quod per eum treugæ non erant obtentæ vel confirmatæ, adjiciens insuper, quod ad defensionem Britanniaë non sufficiebant Angliaë thesauri, quod jam per triennium comprobavit, nec voluit tam laboriosis expensis amplius fatigari; sed, si comes Britanniaë hoc sufficere crederet, ipse mitteret quatuor comites de regno Angliaë cum tot militibus et viris armatis, qui sufficerent ad defensionem terræ illius contra regem Francorum. Hæc audiens comes Britanniaë iratus a rege recessit, et transiens in terram suam continuo ad regem Francorum confugit; et, ut prodicionem contra regem factam sub qualicumque schemate palliaret, venit ad regem Francorum laqueum in collo gerens, et proditorem se esse recognoscens reddidit ei Britanniam totam cum municipiis et castellis. Cui rex Francorum dicitur respondisse, ‘Licet, proditor nequissime, mortem promerueris turpissimam, parcam tamen tuæ nobilitati ut vivas, et dabo Britanniam filio tuo ad vitam suam, ita ut post mortem ejus reges Francorum terræ illius hæredes existant.’ Comes autem rebus omnibus ut proditor spoliatus

per internuntios regi Anglorum reddidit homagium suum, quod ei pridem fecerat; et rex e converso cepit in manu sua omnia jura comitis Britanniae in Anglia, et honores ad illum spectantes. A.D. 1234.

Miraculum de avaritia cujusdam episcopi.

Hoc denique anno, qui tertius erat sterilium annorum, exitialis mortalitas crudeliter ubique sæviebat et fames; quæ pestilentiae, tam exigentibus peccatis, quam ex præcedente aeris intemperie et agrorum generali sterilitate, absque dubio pervenerunt. Pauperes vero diversis in locis ob inedia tabescentes moriebantur, non inveniētes Samaritanum, qui eos stabulario pascendos committeret vel vulnera mortalitatis curaret. Eleemosyna quidem, quæ etiam divitias augere solet, ubique deserta languebat; dum divites, qui in omnibus bonis temporalibus abundabant, tanta cæcitate percussi erant, quod homines Christianos ad imaginem Dei creatos mori ex alimentorum inopia permiserunt. Cæci quidem fuerunt, qui non ex dono Dei, sed propria industria, jactant se divitias acquisivisse. Et, si hoc quoque turpe fuit omnibus generaliter Christianis, turpissimum tamen exstitit episcopis et ecclesiarum prælatis, unde inter primos ex vitio avaritiæ notabiles Waltherum, Eboracensem archiepiscopum, pono cæteris in exemplum; ad quem cum venissent plurimorum maneriorum præpositi pariter et ministri ostendentes, quod in locis diversis multum habuit bladum quinquennali jam tempore inveteratum, quod nimis habebant suspectum, ut vel a soricibus esset corrosum vel corruptione aliqua putrefactum, archiepiscopus autem, non habens in tanta necessitate nec ad Dominum nec ad pauperes respectum, præcepit

Legend.

A. D. 1234.
Legend.

ministris suis ac præpositis, ut traderent frumentum vetus rusticis de maneriis suis, qui pro veteri novum sibi redderent post autumnum. Contigit ergo cum præpositus ejusdem archiepiscopi in villa de Ripun bladum circuitet, extra horrea positum illud tritureret, apparuerunt ubique in garbis capita vermium, serpentium scilicet, colubrorum, et bufonum terribilium; unde ministri, qui cum præposito ad hoc spectaculum convenerant, fugientes timuerunt ne a vermibus læderentur. Cumque hæc omnia archiepiscopo fuerant intimata, misit senescallos suos nimio rubore confusus, ut viderent, quid facere opus esset. At illi venientes ad locum, non obstante vermium multitudine, scalas applicaverunt ad bladum, et rusticos quosdam compulerunt, ut ascenderent et frumentum detegerent; qui cum ad summitatem pervenissent, exivit de blado fumus nigerrimus et fœtor quidam infernalis et intolerabilis, unde cum festinatione descendentes, ut periculum mortis evaderent, testificati sunt se nunquam antea talem sensisse fœtorem; vocem etiam audierunt sibi dicentem, ne ad bladum manus apponerent, quia archiepiscopus et omnia quæ habebat diaboli possessio erat. Videns autem senescallus, et alii qui cum illo erant, ex vermium multitudine grave periculum imminere, fecerunt murum altum in circuitu bladi diaboli et ignem adhibentes in gyrum omnia combusserunt, ne vermes exeuntes totam inficerent regionem.

Item miraculum de avaritia cujusdam presbyteri.

Legend.

Erat in eadem Eboracensi provincia sacerdos quidam et vicarius dives valde et in officio prædicationis sanctæ magnus, sed tamen avarus, qui in hac æstate mortaliter infirmabatur secundum judicium præsentium medicorum. Venerunt au-

tem ad eum visitandum propter famam religionis, quam juxta opinionem totius regionis habebat, vicini ejus abbates et priores, ignorantibus cunctis, quod lupus esset in fabula et anguis esset in herba. Cum autem æger ille prælatos ad se venientes reverenter salutaret, nullam tamen de salute animæ suæ fecit mentionem, nisi ob hoc, quod prælatos illos diligens legavit illis bladum non modicum, quod in curia sua extra horrea positum habebat, dividens illud singulis, prout sibi melius competere videbatur. Cumque abbates illi et priores ad præceptum ægrotantis exirent, ut bladum sibi legatum viderent, conspexerunt juxta congeries illas quendam hominem stantem, vicario, quem in domo reliquerant lethaliter ægrotantem, in indumentis et forma corporis per omnia similem, qui sibi nimis acerbè loquens dicebat, ‘ Quid hic,’ inquit, ‘ quæritis? Sciatis certissime quod bladum hoc totum, et ille, cujus esse videtur, possessio mea est; quia vicarius, qui illud vobis legavit, homo meus est et omnia quæ habet mea sunt, ut qui junctis manibus mihi homagium fecit. Et noveritis indubitanter, quod die quarto morte morietur, et tunc plene recuperabo quod meum est, et quem divitem feci cum pauper esset.’ Audientes autem hoc abbates et qui cum eis erant, nimio terrore percussi, reversi sunt ad vicarium, quem invenerunt jam in extremis laborantem, cui omnia quæ audierant et viderant per ordinem referebant. Et cum hæc coram illo replicassent, quod homo diaboli esset, respondit vicarius, ‘ Verum,’ inquit, ‘ dicit, quia jam elapsis viginti annis, cum pauper essem, pro dignitate terrena et lucro temporali homagium diabolo feci, qui vobiscum locutus est.’ Et continuo ad lamenta pœnitentiæ et confessionis remedium

A.D. 1234.
Legend.

A.D. 1234.
Legend.

confugiens diabolo abrenuntiavit et omnibus operibus ejus et pompis, et confestim, miseratione divina illum respiciente, ab omni corporali molestia sanus effectus est, ut congruum haberet spatium pœnitendi; unde manifeste constat, quod non vult Deus mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.

De miraculo valde laudabili, quod hoc anno contigit.

Legend.

Licet¹ in suprascriptis duobus capitulis sit evidenter expressum in quantum avaritiæ vitium omnibus Christianis detestandum existat, adjiciam adhuc et tertium, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Cum hic annus, de quo prædiximus, pauperibus crudelis et sævus in diebus suis usque ad Julium mensem processisset, pauperes, quos diuturna fames afflixerat, ad agros proruunt fructiferos catervatim, ubi spicas frugum, licet nondum maturas, carpentes et manibus illas tremulis confricantes infelicem vitam, quæ vix in eorum pectoribus palpitabat, protrahere satagebant; nec id multum erat in pauperibus reprehensibile, cum legatur in apostolorum actibus Christi discipulos hoc fecisse. Sed rustici quarundam villarum, qui ex avaritia inopiam semper habent suspectam, per agros suos transeuntes, cum hoc pium et necessarium deprehendissent furtum, perturbati sunt valde; unde contigit, quod homines villæ, quæ Alboldeslea dicitur et in Cantebregensi provincia sita est, cum sequenti die Dominica, quæ tunc fuit decimo septimo kalendas Augusti, ad ecclesiam convenissent, presbyterum tumultuosis clamoribus rogabant, ut incontinenti omnes illos, qui spicas in agro carpentes bladum furati fuerant,

¹ *Licet.*] Raynaldi has inserted this and the previous accounts in his Annals, ii. p. 106.

anathematis sententia innodaret. Et, cum ad hoc rustici omnes vehementer instarent, vir quidam ex eadem villa religiosus et pius, cum videret presbyterum ad ferendam sententiam paratum, surrexit, et ex parte Dei omnipotentis et sanctorum omnium presbyterum adjuravit, ut ipsum, et omnes quas habuit in campo fruges, ab illa sententia sequestraret; addidit etiam, quod bene placuit sibi quicquid pauperes inedia compulsi de suis ceperant frugibus, et quod residuum erat Domino commendavit. Quid ergo? Instantibus pertinaciter cæteris in stulto proposito suo, cum presbyter compulsus ferre sententiam inchoasset, tanta subito exorta est in aere tempestas, tonitruum scilicet ac fulminis concussio, ventorum ac turbinum conflatio, pluviarum et grandinum inundatio, quod, quasi in momento turbine flatu diabolico agitata, fruges in agris, armenta cum arboribus ac cæteris quibusque crescentibus et avibus in campis, ita opprimendo contrivit, quod velut in curribus et in equis conculcata et in terra demersa videbantur. Visi sunt autem in aere sursum angeli ¹Sathanæ volitantes, qui hujus tempestatis ministri fuisse credebantur. Sed, cum justis ac piis stabilis semper sit inventa divina benignitas, vir ille simplex et justus, cum, peracta tempestate omnibus vicinis suis nimis damnosa, visitare pergeret agros suos, invenit prædia sua et jugera, licet inter terras aliorum permixta, ita ab omni tempestate intacta et illæsa, ut nullum in eis læsionis vestigium appareret; unde omni luce clarius constat, quod sicut Deo gloria in excelsis canitur ab angelis, ita et in terra pax est hominibus bonæ voluntatis. Inchoavit autem hæc tempestas in

A.D. 1234.
Legend.

¹ *Sathanæ volitantes.*] ‘In modum nigrorum satyrarum;’ Paris.

A.D. 1234.

finibus Bedefordiae, et sic per insulam Eliensem et Norfolk ad orientem tendens in mare descendit. Sæviebant siquidem hoc anno multæ consimiles tempestates in locis diversis, quæ multis tam terribiles quam damnosæ fuerunt; sed et hoc similiter notabile videtur, quod reliquiae frugum, quæ tempestate completa in agris remanserant, ita foetidæ erant inventæ, quod non equus vel asinus, non bos aut porcus, non auca vel gallina comedere illas voluerunt, cum sæpe eis fuissent ad comedendum oblatae.

*De discordia inter dominum papam et Romanos
exorta.*

Dissensions
at Rome
between the
pope and the
citizens.

Eodem¹ anno exorta est Romæ gravis dissensio inter dominum papam et cives Romanos his de causis. Usurpant sibi cives memorati ex antiquo jure, quod Romanus pontifex non potest aliquem ex civibus excommunicare, vel urbem pro quolibet excessu supponere interdicto. Ad hoc dicit summus pontifex, quod minor est Deo et major hominibus, ergo major civibus² Romanis; et, cum eorum sit pater spiritualis, debet et de jure potest filios corrigere delinquentes, ut sibi in fide Christi subjectos, unde de jure potest rationabilibus de causis eos excommunicare et civitatem interdicere. Item, potestates urbis et senatores annum tributum exigunt ab ecclesia Romana, quod eis, tam ex novo quam ex antiquo jure, Romani pontifices persolvebant, de quo etiam semper usque ad istius papæ tempora in possessione fuerunt. Ad hoc dicit papa, quod si ecclesia Romana temporibus persecutionis, pro defensione sua et pro bono pacis, aliquando majores civitatis in donis gratuitis liberaliter re-

¹ *Eodem anno.*] Raynaldi, An-
nal. ii. p. 117.

² *Romanis.*] ‘Vel etiam rege
vel imperatore;’ Paris.

spexit, non debet hoc in consuetudinem trahi, quia illa sola consuetudo tenenda est, quæ jure constat et ratione subnixa; et, quod his omnibus majus est, Christus in cruce suo sanguine ita liberam fecit illam, quod nec portæ inferæ prævalebunt adversus eam. His igitur et aliis de causis inter dominum papam et cives Romanos lite contestata, idem papa cum suis cardinalibus exivit ab urbe et apud urbem Perusium moram facturum divertit. At Romani contra eum invalescentes quædam ipsius ædificia in civitate prostraverunt, unde a papa excommunicati fuerunt; qui etiam, ipsum imperatorem cum in sui favorem attraxerat, congregavit exercitum copiosum, ut impetum reprimeret Romanorum. Tunc¹ exercitus imperatoris et exercitus summi pontificis simul convenientes casalia eorundem Romanorum per gyrum urbis posita numero octodecim prostraverunt et vineas succiderunt, unde cives ipsi perturbati exierunt ab urbe octavo idus Octobris, viri ut dicitur armati centum millia, ut civitatem Viterbii, quæ ad jus domini papæ spectabat, spoliarent et igne spoliata concremarent; sed, cum irrationabile vulgus civitatis absque disciplina militari exirent et agminibus incederent dissolutis, acies militares ipsius papæ et imperatoris ab insidiis prorumpentes irruunt in Romanos et ex eis magnam stragem, non tamen sine suorum læsione, fecerunt. Ceciderunt autem hinc inde ad triginta millia armatorum; sed Romani tamen majorem perpassi sunt stragem, ut qui agminibus dissi-

A. D. 1234.
Dissensions
at Rome.

¹ *Tunc exercitus imperatoris.*] lide vocavit ad exercitum suum
Paris here reads, 'Tunc exerci- regendum, tum propter thesauri
tus summi pontificis, cui præ- abundantiam, tum propter mili-
erat comes Tholosanus, quærens tandi peritiam;' see below, p.
gratiam, et episcopus Wintoni- 327.
ensis, quem dominus papa cal-

A.D. 1234. patis ad suam civitatem præcipites confugerunt. Exasperatum est quidem cor eorundem Romanorum nimis adversus dominum papam, quia in illo conflictu de civitate multi nobiles corruerunt. Duravit diu ista dissensio inter eos, sed Romani tamen cives semper aleam Martis sibi contrariam invenerunt. Eodem tempore obiit Hugo Foliot, Herefordensis antistes, et successit ei magister Radulphus de Maidenestan, vir in literali doctrina famosus, qui ab Eadmundo, Cantuariensi archiepiscopo, munus consecrationis suscepit.

De Judæis, qui puerum Christianum circumciderunt.

A.D. 1235.
Outrage of
the Jews at
Norwich.

Anno Domini MCCXXXV. rex Anglorum Henricus anno regni sui decimo nono ad Natale tenuit curiam suam apud Westmonasterium, præsentibus episcopis et principibus regni; et eodem tempore septem Judæi adducti sunt coram rege apud Westmonasterium, qui in Norwico puerum quendam, quem furatum jam per annum a conspectu Christianorum absconderant, circumciderunt, ¹volentes eum crucifigere in solennitate Paschali; sed super hoc facto convicti in regis præsentia confessi sunt rei veritatem, et sic de vita sua et membris in ipsius voluntate sub carcerali custodia remanserunt. Eodem tempore obiit Hugo, Lincolniensis episcopus, omnium virorum religiosorum inimicus, septimo idus Februarii, et sepultus est apud Lincolniam in ecclesia cathedrali quarto idus ejusdem; cui successit magister Robertus Grosseteste, vir ho-

¹ *Volentes eum crucifigere.*] Holinshed relates the same thing of them, as happening in the same town in 1145; Paris also says, that four Jews were hanged in Norwich for the same offence in 1240. In 1255 the same thing

was done at Lincoln, when the Jew, in whose house the body of the victim was discovered, confessed that almost every year they sacrificed a child in a similar manner; Tyrrell, ii. p. 972.

nestus et religiosus atque in lege divina sufficienter eruditus, qui apud Radingum ab Ead-
 mundo, Cantuariensi archiepiscopo, munus consecrationis suscepit tertio nonas Junii, reclamantibus monachis Cantuariensibus ne alibi consecraretur quam in ecclesia Cantuariensi, sed id tandem fieri hac vice permiserunt, ita tamen quod non ad consuetudinem de cætero traherentur. Per idem tempus, post purificationem beatæ Mariæ, concordati sunt cum rege Stephanus de Segrave et Robertus Passelewe, datis mille marcis; nec tamen in pristinam regis gratiam sunt recepti. Circa eosdem dies Henricus de Sandfort, Roffensis antistes, diem clausit extremum sexto kalendas Martii; post cujus obitum monachi Roffenses elegerunt magistrum Richardum ¹ de Wendene, virum in liberali scientia eruditum; qui Eadmundo, Cantuariensi archiepiscopo, ad electionem confirmandam, a præfatis monachis præsentatus non fuit admissus, unde monachi domini papæ præsentiam appellarunt.

A.D. 1235.

*De morte Willelmi abbatis et de successione J. sancti
 Albani [abbatis] XXIII.*

Eodem anno, in ²crastino sancti Matthiæ apostoli, obiit Willelmus, abbas ecclesiæ beati Albani, postquam eandem rexerat ecclesiam annis viginti et mensibus fere tribus, et sepultus est tertio kalendas Martii in capitulo ³monachorum. Deinde conventus, impetrata a rege licentia ab-

Election of John, abbot of S. Alban's.

¹ *De Wendene.*] 'De Wende' in C.

² *Crastino sancti Matthiæ.*] 24th of February.

³ *Monachorum.*] Paris adds, that three monks were then sent to the king for leave to proceed

to a new election, and that 'obtinuerunt etiam fratres a domino rege gratiam habendi totam domum suam in manu sua, exceptis eschaetis et ecclesiarum donationibus, a die obitus prædicti abbatis usque in annum completum.'

A.D. 1235.

batem eligendi, in crastino annunciationis beatæ Mariæ elegerunt solenniter Johannem, priorem de Hertford, monachum suum professum, in pastorem animarum suarum, qui regi præsentatus ab eo favorabiliter receptus est Dominica in ramis palmarum; et tunc missi sunt monachi ecclesiæ ejusdem et clerici ad curiam Romanam, ad quam immediate spectat, ut electionem rite factam impetrarent a sede apostolica confirmari, ubi sine difficultate ¹electione confirmata cum benedictione apostolica reversi sunt in regionem suam.² Post hæc autem idem electus in crastino nativitatis beatæ Mariæ, in Dominica die, a Rogero, Londoniensi episcopo, benedictionem abbatis suscepit; medio autem tempore, quo hæc omnia facta sunt, remansit abbatia cum omnibus pertinentiis sub custodia conventus ex beneficio regis, hospitalitate integra remanente. Eodem anno Judæi privilegium impetraverunt a pontifice Romano, ne a regibus aut principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur vel in carcere ponerentur.

¹ *Electione confirmata.*] Gregory's letter to the bishops of Ely and London is printed in the collection of Councils, e Typ. Reg. xxviii. p. 288.

² *Suam.*] The mode of election is thus described by Paris: 'Confessores scilicet tres vel quatuor jubentur districte in virtute Spiritus Sancti, utpote qui cognoscunt corda et renes singulorum, ut ipsi eligant duodecim de conventu fratres electos, scilicet fideles et peritos, ut ipsi vel de seipsis, vel de ipso conventu ecclesiæ, vel de cellis, unum idoneum eligant in abbatem. Ut autem eorum electio et labor deliberationis super hoc negotio irritus non habeatur, litteras ha-

bent de conventu penes se sigillo conventus roboratas, ut ipse conventus illum, quem ipsi duodecim eligent in abbatem, sine contradictione unanimiter suscipiant et gratanter. Unde series negotii sic prosecuta a summo pontifice et omnibus audientibus cum admiratione est commendata, et, facta examinatione, auctoritate apostolica confirmata. Veruntamen, quia de persona electi papæ non constabat, dedit summus pontifex in mandatis Eliensi et Londinensi episcopis, ut, rite facta ex persona electi examinatione, eundem in abbatem confirmatum benedicerent, plene in omnem tam spiritualium quam temporalium administrationem instituentes.'

Per idem tempus Petrus, Wintoniensis episcopus, ad mandatum domini papæ ¹Romam profectus est, instante solennitate Paschali, ut guerram ejus jam diu contra Romanos accensam ordinaret; erat enim juvenis in obsequio Richardi magnifici bellatoris atque Johannis regum Angliæ, cum quibus prius didicerat usum loricæ quam pontificalis planetæ, et acies castrorum disponere quam verbum fidei prædicare.

A. D. 1235.
The bishop of Winchester goes to Rome.

De prædicatione crucis.

Hoc denique anno, qui est annus octavus postquam constitutæ sunt treugæ decennales in terra promissionis inter Romanum imperatorem Fredericum et Babyloniam Soldanum, facta est ²prædicatio crucis per orbem universum Christiana fide insignitum, ad commonitionem et instantiam domini papæ Gregorii, qui literas in diversas orbis partes sub hac forma direxit;

Preaching in behalf of a crusade.

Authenticum papæ.

‘Gregorius³ episcopus, servus servorum Dei, universis Domini nostri Jesu Christi fidelibus per regnum Angliæ constitutis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Rachel [suum] videns in veræ fidei cognitione principium accrescentium in salutem, et filiorum dexteræ pia mater sancta Romana ecclesia, cujus magna est quasi mare de suæ prolis interneccione contritio, vocem lamentationis, fletus et luctus emisit hactenus et emittit, quam audiri cu-

The pope's letter on the crusade.

¹ *Romam profectus est.*] ‘In cujus auxilium Petrus, Wintoniensis episcopus, grandem executionem (exercitum) de militibus et balistariis usque ad Perusium perduxit;’ Chron. Dunst. p. 228.

² *Prædicatio.*] For the preach-

ing of John of Vicenza, see Fleury, Hist. Eccl. xvii.

³ *Gregorius.*] Compare the letter printed in the collection of Councils, xxviii. p. 309; see also Michaud, tom. iv. p. 51,

seqq.

A.D. 1235.
The pope's
letter on the
crusade.

pimus in excelso, ut per diem et noctem fidelium oculi doloris lachrymam deducentes non taceant, et, donec misereatur Dominus, non quiescant. Lamentatur autem, quia domus cælestis panis, mons Syon, unde lex exiit, civitas Regis magni, de qua dicta sunt multa gloriosa, terra quam Dei Filius fuso pro nobis suo sanguine consecravit, regni robur et pulchritudinem perdidit. Flet, quia quondam libera sub impiæ tyrannidis jugo servit. Luget, quia, ubi pacem multitudo militiæ cælestis cecinit, ibi pressura gentis immundissimæ scandala, simultates et schismata suscitavit, ac innovans exordia præliorum misit ad desiderabilia manum suam, sacerdotii et sacerorum ordinum pias leges et ipsius naturæ jura relegans a templo Domini, diversis ibi spurcitiis et abominationibus introductis; et ideo Hierusalem in suis derisa sabbatis obsorduit, quasi polluta menstruis inter hostes. Nam licet dudum carissimo in Christo filio nostro Frederico, Romanorum imperatori, semper augusto, Hierusalem et Siciliae regi illustri, civitas eadem, præter templum Domini, fuerit restituta, tamen, quia Deus omnipotens tunc magnificentius agere cum populo Christiano non adjecit, imperator prædictus treugas iniit cum Soldano, quarum terminus adeo est vicinus, quod tempus medium præparationi vix sufficere creditur, nisi ad quæque necessaria per promptitudinem, spem et fervorem fidei festinetur. Ad ejus ergo succursum nullum tædeat peregrinari, et pro patria certare cum spe victoriæ, pro corona mori, pro vita, pro Illo sustinere ad tempus dura et tristia, qui, confusione contempta, sputo conspersus, colaphis cæsus, flagellis afflictus, spinis coronatus, coram Pilato sisti, tanquam multorum criminum reus, pertulit, ad ultimum crucifixus

et felle potatus, lancea perforatus, emittens cum clamore valido spiritum, pro conditionis humanæ viribus reparandis, cursum præsentis vitæ saturatus injuriis consummavit. Hic est autem, ut altius repetamus, qui de Paternæ solio gloriæ, cælis mirabiliter inclinatis, ad nostræ mortalitatis ima descendens non dedignatus est Deus homo, Creator creatura fieri, suscipere Dominus formam servi, ut, qui non poteramus per nostram justitiam sperare veniam, consecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes autem Christi, divinitatis consortium, felicitatis æternæ participium sortiremur. Et, licet per gratiam adoptati quotidie causas ingratitude cumulemus, Ipse tamen abundat in divitiis bonitatis, dum propter diversitatem voluntatum, virium facultatem, delinquentibus diversa pro tempore satisfaciendi genera contulit, varia medendi languoribus remedia suscitavit; dum terram, in qua nasci, mori et resurgere voluit, tamdiu ad exercitacionem fidelium ab infidelibus detineri permittit, cum non sit abbreviata manus Domini, nec virtus ejus in aliquo diminuta, quin etiam, sicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento. Sed illas compassionis et ¹dilectionis gratias exquirat ab homine, quibus, ad omnis consummationis finem legisque plenitudinem ostendendam, Ipse prior homini perditio et damnato voluit miseratus adesse, qui nullatenus permisisset manus impias contra ²pios usque adeo roborari, nisi et suam vindicari de nostra confusione providisset injuriam et servari nostram de sua victoria disciplinam. Sub hac autem occasione delicti plurimi, satisfacere pro modo criminum aliter non valentes, velut in profundo malorum penitus desperas-

A.D. 1235.
The pope's
letter on the
crusade.

¹ *Dilectionis.*] ‘Dilationis’ in MS. | ² *Pios.*] ‘Impios’ in MS.

A.D. 1235.
The pope's
letter on the
crusade.

sent, nisi occurrisset eis hæc tabula; nisi per hoc compendium, suis positis pro Christo animabus, consummati brevitæ multorum temporum spatia complevisset. Multi enim, invenire locum ubi steterunt pedes Domini cupientes, prius ad bravium sine cursu, et primo ad coronam sine gladio pervenerunt; Illo suum remunerante militem, qui solam in oblatione considerat voluntatem. Nos autem, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem istum in propriis personis et sumptibus subierint, vel qui viros idoneos cum suis expensis pro se destinaverint, sed et illis, qui in alienis expensis in propriis personis accesserint, vel qui de bonis suis ad subventionem terræ sanctæ congrue ministraverint, aut qui circa prædicta negotia consilium vel auxilium opportunum impenderit, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus. Statuimus etiam, ut omnes, sive clerici sive laici, post crucem assumptam sub beati Petri ac nostra protectione securi et eorum bona omnia permaneant, necnon sub archiepiscoporum, episcoporum et omnium ecclesiæ prælatorum defensione consistent, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur; in quo utique termino nullus cruce signatus, sive a Judæis sive a Christianis, ad præstationem usurarum compellatur. Datum Spoleti, secundo nonas Septembris, pontificatus nostri anno octavo.' Assignati sunt autem prædicatores a domino papa in opus crucis per orbem universum fratres de ordine Minorum ac Prædicatorum, cum magistris in theologia perfectis, qui in opus evangelii

profecti prædicaverunt, ubique Domino coope- A.D. 1235.
rante et sermonem confirmante sequentibus sig-
nis; habuerunt siquidem ex mandato aposto-
lico provinciarum archidiaconos et decanos, qui
in locis singulis parochianos, viros et mulieres,
convenire fecerunt, ita ut nullus remaneret, sub
pœna anathematis, quin eorum prædicationibus
interesset.

Miraculum de muliere contracta.

Contigit autem hoc anno, tertio idus Junii, in Legend.
villa de Clare, ubi magister Rogerus de ¹Lawes,
frater quidam de ordine Minorum, pro negotio
crucis evangelium in Dominica prædicavit, ut
mulier quædam omni membrorum officio jam per
triennium destituta, pœnam metuens excommu-
nicationis, paucum quod habuit argentum cuidam
viro sibi vicino contulit, qui eam in humeris suis
ad locum prædicationis portaret; ubi cum ge-
mens jaceret et lugens quousque vir Dei prædi-
cationem complevisset, motus compassione super
gemitibus mulieris, quam lugentem jacere con-
spexit, accessit ad eam atque causam ad quid
illuc venisset inquisivit. Quæ cum diceret, quod
metu excommunicationis ad locum prædicationis
delata fuisset, præcepit ut iret in domum suam,
nesciens quod membris omnibus esset dissoluta.
Sed cum adstantes vicini ejus testarentur, quod
omnium erat usu membrorum jam elapso trien-
nio privata, interrogabat si crederet quod Deus
potens erat ut sibi, si vellet, redderet sanitatem;
cui illa, ‘Credo, domine.’ Tunc vir Dei mulie-
rem inter brachia complectens levavit eam fidu-
cialiter et ait, ‘Sanet te Deus omnipotens, in
quem credis.’ Et, cum mulier ad vocem jubentis

¹ Lawes.] ‘Lewes’ in Paris.

A.D. 1235. se erigeret confidens in Domino, cœperunt ossa ejus et nervi dum surgeret ita subito crepitare, ut visum sit adstantibus, quod omnia ossa ejus in frustra comminuta fuissent ; et sic mulier sanitati pristinae restituta abiit in domum suam exultans et magnificans Deum, qui talem servo suo contulit ¹potestatem.

Quod imperator sororem regis Angliæ postulavit.

The emperor asks the princess Isabella in marriage.

Eodem anno, mense Februario, venerunt apud Westmonasterium duo Templarii cum militibus et aliis nuntiis solemnibus ab imperatore Frederico ad regem Anglorum missi, ferentes ²litteras ipsius auro bullatas, in quibus postulavit Isabel sororem regis sibi matrimonio copulandam. Venientes autem septimo kalendas Martii ad regem petierunt literarum et suæ postulationis responsum sibi dari, ut regis voluntatem domino imperatori possent celeriter nuntiare. Rex autem Anglorum super dicto negotio sollicitus cum episcopis et regni sui magnatibus cœpit tractare per triduum, qui rem diligenter examinantes in hoc unanimiter consenserunt, ut puella imperatori daretur ; et sic tertio kalendas Martii ³respondens matrimonium petitum concessit. At nuntii cum postulassent, ut sibi liceret puellam videre, misit rex legatos fide dignos pro sorore sua ad turrin Londoniarum, ubi sub vigilantia custodia servabatur ; quam reverenter apud Westmonasterium perducentes in præsentia regis, puellam, vicesimum primum ætatis agentem

¹ *Potestatem.*] Here follows in Paris a more full account of the election of the abbot of S. Alban's, containing the correspondence with the pope upon the subject.

² *Litteras ipsius.*] They are

printed in Rymer, i. p. 220, with a recommendation from the pope in the emperor's behalf.

³ *Respondens.*] *Ibid.* i. p. 221 ; see also the marriage contract at length, p. 223.

annum, speciosam, flore virginitatis insignitam, A.D. 1235.
 indumentis et moribus regiis decenter ornatam,
 nuntiis imperialibus exhibebant. At illi, cum in
 virginis inspectione visum aliquandiu recreassent
 et eam imperiali thoro dignissimam in omnibus
 judicassent, confirmaverunt matrimonium in ani-
 mam imperatoris interposito juramento, offeren-
 tes ei ex parte ipsius imperatoris annulum spon-
 salem; quem cum in ejus digito posuissent,
 pronuntiaverunt eam imperatricem esse Romani
 imperii, communiter dicentes, ‘Vivat imperatrix,
 vivat!’ Deinde cum legati ea, quæ facta fuerant,
 sub omni festinatione imperatori per fideles in-
 ternuntios intimassent, post Paschalem solenni-
 tatem misit ¹archiepiscopum Coloniensem et Lo-
 vaniæ ducem cum virorum nobilium multo co-
 mitatu in Angliam, qui imperatricem ad ipsum
 honorifice perducentes matrimonium jam initia-
 tum et ratum procurarent, ut in cognitione car-
 nali fieret consummatum.

De ornatu nuptiali imperatricis et nobili apparatu.

Erat autem istarum tantus apparatus nup-
 tiarum, quod quasi regias excedere divitias vi-
 debatur; nam ad ipsius imperatricis dignitatem
 fabricata est corona opere subtilissimo ex auro
 purissimo et gemmis pretiosis, in qua sculpti
 fuerunt reges quatuor Anglorum martyres et
 confessores, qui a rege ad suæ sororis animæ
 custodiam sunt specialiter assignati. In annu-
 lis siquidem et monilibus aureis cum gemmis
 pretiosis decenter ornatis, ac cæteris ornamentis
 lubricis, peplis sericis et lineis, et rebus consi-
 milibus, quæ oculos intuentium et animos rapere

Preparations
 for the depar-
 ture of the
 princess.

¹ *Archiepiscopum Coloniensem.* | mendaret ad imperatorem dedu-
 ‘Littera regis archiepiscopo Co- | cendam;’ Rymer, i. p. 225.
 loniensi, quod sororem ei com-

A.D. 1235.

solent in concupiscentiam mulierum, ita decorata resplenduit, ut quasi impretiabilia viderentur. In indumentis autem festivis, tam sericis quam laneis vel lineis diversi coloris et imperatrici dignissimis, adeo induta enituit, ut vix sciret ex multis qui eligeret quibus in sui amorem imperatoris animum inclinaret. Lectus quoque ipsius in opertoriis et culcitris sericis diversi coloris, cum varia suppellectili et lintheaminibus ex sindone munda paratis, tam sumptuosus exstitit, ut sua mollitie in se quiescentes ad somnum delectabilem invitaret. Vasa etiam omnia, tam vinararia quam fercularia, ex argento erant et auro purissimo; et, quod omnibus superfluum videbatur, ollæ omnes coquinæ majores pariter, minores, ex argento fuere purissimo. Ad quorum omnium administrationem et custodiam tales deputati sunt ministri curiales, qui ipsi imperatrici et illius familiæ more regio ministrarent. Talibus autem et aliis multis puella a rege fratre suffulta honoribus et dotata muneribus remansit in custodia episcopi Exoniensis et Radulphi filii Nicolai, regis senescalli, et aliorum virorum nobilium de domestica illius familia, comitantibus matronis nobilibus et puellis generosis, qui omnes curialiter eruditi ad imperatricis sufficiebant obsequium et conductum. Et, his in hunc modum dispositis, rex in die sancti Johannis ante portam Latinam apud Westmonasterium tenuit solenne festum cum archiepiscopo Coloniensi et cæteris nuntiis imperatoris; et in crastino omnes apud Derteford burgum iter arripiunt, rege comite, cum magno comitum ac baronum conductu. Equos autem tot ei et tales rex procuravit variis coloribus distinctos et suaviter portantes, qui sufficiebant ad imperatricis honorem, dum sessores suos sine pedum offensione quadam delectabili

Departure of
the princess
Isabella.

suavitate ferebant ; phalerarum quidem tot eis A.D. 1235.
 erant varietates in sellis deauratis et subtiliter
 sculptis, cum frænis deauratis et loris artificiose
 compositis, ut tam equos quam equites mirabili-
 ter decorarent. Cumque per Roffensem civitatem
 ad abbatiam de Feveresham convenissent, inde
 apud Cantuariam profecti ad sanctum Thomam
 archipræsulem et martyrem orationis gratia per-
 venerunt ; ubi completo devotionis obsequio, ad
 portum Sandwicensem quasi tria equitum millia
 convenerunt. Imperatrix autem et archiepisco-
 pus Coloniensis, cum cæteris viris nobilibus et
 matronis ad conductum ejus assignatis, quinto
 idus Maii ¹naves ingressi velis patentibus sese
 pelago commiserunt ; nec lachrymæ defuerunt
 cum frater a sorore, rex ab imperatrice, discessit.

Quomodo imperatrix apud Coloniam venit.

Navigantibus autem illis, post tres dies et to- Her arrival
at Cologne ;
 tidem noctes ostium Rheni fluminis intraverunt,
 et, completo unius diei et noctis cursu, apud An-
 evers applicuerunt, in terra scilicet juri imperi-
 ali subjecta. Quibus applicantibus occurrit in-
 numera multitudo nobilium armatorum ad cus-
 todiam imperatricis ab imperatore transmissa,
 quæ diebus ac noctibus circa corpus ejus dili-
 gentes excubias celebraret ; erant enim quidam
 ex hostibus imperatoris regi Francorum confœde-
 rati, ut dicebatur, qui imperatricem rapere mo-
 liebantur, ut matrimonium impedirent. Occur-
 runt etiam presbyteri omnes et clerici ex regio-
 nibus circumpositis cum processione solenni cam-

¹ *Naves.*] From the writs in Rymer to the sheriff and bailiffs of the sea-ports of Norfolk and Suffolk, to prepare ten ships for the passage of the empress, it appears that Orwell, in Suffolk, was intended to have been the port at which she should embark, and the 9th of April (die Lunæ in crastino instantis Paschæ) the day fixed for the departure ; i. p. 225.

A.D. 1235. panas pulsantes et cantica lætitiæ modulantes, inter quos siquidem convenerunt omnes artifices, et magistri cujuscumque generis musicæ artis cum suis instrumentis, qui in omni lætitia nuptiali per viam quinque dierum imperatricem apud Coloniam conduxerunt; ubi cognito ipsius adventu, exierunt ab urbe in occursum ejus ad decem millia civium cum floribus et palmis ac festivis indumentis, qui in equis sedentes Hispanicis ad agilem eos cursum urgebant, dum hastas et arundines, quas ferebant in manibus, in alterutrum confregerunt. Talibus igitur imperatrix comitata tripudiis, conduxerunt eam per principales plateas civitatis contra ipsius adventum multipliciter adornatas; sed cum illa cognovisset quod omnes, et præcipue nobiles matronæ quæ in solariis sedentes, faciem ejus videre cupiebant, capellum ex capite demisit et pepulum, ut universi liberum ipsius haberent aspectum, qui, oculis in ejus inspectione aliquamdiu recreatis, laudaverunt eam multum ex hoc facto, pulchritudinem illius pariter et humilitatem plurimum commendantes. Hospitata est autem imperatrix extra muros civitatis propter tumultum ejus, imperatoris ibi mandatum exspectans.

Quod imperator imperatricem apud Warmesiam desponsavit.

is married at
Wormes.

Tempore quo imperatrix apud Coloniam venit, imperator erat bellicis expeditionibus implicatus contra filium suum sibi rebellem, sed pater contra eum tam copiosum conduxit exercitum, ut simul et semel castra decem obsidione vallaret; in quorum uno fortissimo cum filium obsedisset, ille patris severitatem metuens exivit de castro et, corruens in terram coram ipso, ejus misericordiam imploravit; sed ille sine misericordia vin-

culis filium constringi jubens, duxit eum secum A.D. 1235.
 apud Warmesiam, ubi cum illum sub arcta custodia commendasset, misit pro imperatrice ut ad eum veniret ibidem, postquam apud Coloniam per sex hebdomadas moram protraxisset. Archiepiscopus autem Coloniensis et episcopus Exoniensis, cum cæteris ad imperatricis conductum assignatis, iter cum ipsa aggredientes ad imperatorem eam in omni pompa ac nuptiali lætitia septem dierum itinere perduxerunt; quo cum pervenissent, suscepit eos imperator in magna lætitia et honore, quia supra modum sibi placuit decoris inspectio puellæ, quam natura speciali quodam studio decoravit. ¹ Desponsavit ergo puellam ibidem solenniter imperator decimo tertio kalendas Augusti, in Dominica; quæ, si multum ei placuit in specie corporali, multo melius placuit in experientia thori, quam virginali puritate signatam invenit. Nuptiis igitur diebus quatuor continuis magnifice celebratis, episcopus Exoniensis et cæteri, qui cum imperatrice advenerant, ab imperatore licentia impetrata, ad Angliam cum gaudio sunt reversi. Misit ergo imperator regi Anglorum ² tres leopardos, cum aliis donariis pretiosis, quibus regiones non abundant occidentales; cui etiam contra regem Francorum consilium promisit et auxilium opportunum.

¹ *Desponsavit.*] ‘Accipiens pro dote triginta millia marcarum; pro quibus petitum et concessum fuit generale scutagium duarum marcarum per totam Angliam, non solum de feodis habitis in capite de rege, sed etiam de aliis cultis;’ Chron. Dunst. — That this tax was a scutage, and not a carrucage, as Paris calls it, being laid upon all ecclesiastical as well as lay fees, see the prior of Coventry’s plea, in the office of the king’s remembrancer, inter

commun. de term. S. Hilar. 17 Edw. III.; Tyrrell, ii. p. 891. Respecting the payment of the empress’s dower, see two letters of the king to the pope in Rymer, i. p. 226; also two letters to the emperor, apologizing for the want of punctuality in making the payment, p. 228.

² *Tres leopardos.*] Paris adds, ‘in signum regalis clypei, in quo tres leopardi transeuntes figurantur.’

De generis nobilitate hujus imperatricis.

A. D. 1235.
Pedigree of
the empress.

Erant autem multi in imperio Romano quibus nimis videbatur indignum, quod imperator tam potens et in omnibus divitiis pollens, qui quasi dominus et moderator exstitit totius orbis, ¹sororem duxerit regis Anglorum. Sed cum omnibus sit notissimum, quia major dignitas est esse genere nobilem quam divitem, sciendum est, hujus imperatricis patrem fuisse regem Anglorum Johannem; Henricum regem, qui nunc regnat in Anglia, fratrem; avunculos reges magnificos Henricum et Richardum, ac Britanniae comitem Galfridum: hii autem reges generositate illustres dominabantur in Anglia et Hibernia, unde reges fuerunt; in Normannia et Aquitania, unde duces; in Pictavia et Andegavia, unde comites; præter Turonicam et Cenomanniam, Berri et Averniam, quæ ad eorum proprietatem spectare tenentur. In his quoque regionibus septem archiepiscopos habuerunt, cum regibus Scotiæ et Walliæ, Hiberniæ et Moniæ insulæ, subjectos; atque, præter istos, tot episcopos, totque comites, barones ac milites, quod quasi innumerabiles reputantur. Mater autem hujus imperatricis istarum omnium terrarum regina fuit; et duæ sorores illius, una regina Scotorum, et altera Penbroc comitissa. Amitæ quidem ipsius erant quinque, quarum primam duxit rex Hispaniæ Alphonsus, de qua nata est Blanca Francorum regina, et ejus filius, qui regnat in Gallia Lodovicus; alteram duxit rex Siciliæ Rogerus; et tertiam dux Saxoniae Henricus, de qua natus est Otho post-

¹ *Sororem duxerit.*] She was the third wife of the emperor Frederic, and was the mother of Henry, (so called after Henry

II.; Rymer, i. p. 233.)	titular king of Jerusalem. She died in December 1241.
-------------------------	---

